

V E T U S
C A N O N U M
C O D E X

LUSITANÆ ECCLESIAE

Notis illustratus

A'

D. THOMA

A B

INCARNATIONE, *Costa e Lima*

Canonico Regulari Lateranensi Congregationis Re-
formatae S. Crucis in Academia Pontificia Hi-
storicae Ecclesiasticae Professore publico, &
Doctore Theologo Colimbriensi.



COLIMBRIÆ: M.DCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMIÆ LITURGICÆ.
Cum solitis facultatibus.


1773
VETUS
CANONUM
CODIX
IUSTITIAE ECCLESIAE

D. THOMAS

ACQUAYTON
CANTON HUNTS

COLLEGE OF MEDICINE
IN THE UNIVERSITY OF LONDON
BY JOHN HUNTS





F A C U L T A S

ORDINIS.

D Omnus Franciscus ab Annuntiatione à Consiliis Regiæ Majestatis, Prior Monasterii S. Crucis, Generalis Canonorum Regularium Lateranensium per Lusitaniam, Antistes in suo Territorio exempto nullius Diœcesis cum jurisdictione quasi Episcopali immediata Sedi Apostolicæ, Cancellarius Academiæ Collimbriensis &c.

Facultatem facimus, ut opus *Vetus Canonum Codex Lusitanæ Ecclesiæ* à Domino Thoma ab Incarnatione Canonico Regulari Historiæ Ecclesiasticæ Professore publico cõpositum, & ab ejusdem Cõgregationis Viris doctis approbatum typis mandetur, in cujus rei testimonium hujusmodi literas dedimus Cõgregationis sigillo munitas. Ulyssipone in Regio Mo-

nasterio S. Vincentii die prima Junii anno
millesimo septingentesimo sexagesimo
tertio.

D. FRANCISCUS AB ANNUNTIATIONE,
Prior Generalis Cancellarius.

D. EMMANUEL AB ANNUNTIATIONE.
Collega Secretarius.

FACULDADE DA ACADEMIA
LITURGICA.

D Amos licença para se imprimir o
antigo Código dos Canones da
Igreja Lusitana, composto pelo P. D. Tho-
máz da Encarnação Lente da Historia Ec-
clesiastica. Coimbra 7. de Junho de 1763.

D. BERNARDO DA ANNUNCIACÃO
Lente dos Sagrados Ritos.

FR. PAULO DE S. MAURO
Censor.

FRANCISCO DE LEMOS PEREIRA COUTINHO
Censor.

L I C E N Ç A S.

Do S. OFFICIO.

Censura dos RR.PP.MM DD. Fr. João Baptista de S. Caetano, e Fr. Francisco de S. Bento, Qualificadores do S. Officio &c.

mos. mos. res.
Ex e R S

O Livro *Vetus Canonum Codex Lusitanae Ecclesiae*, que compôs o P. M. D. Thomas da Incarnação, não contém cousa alguma contra a nossa Santa Fé, e bons costumes: merece a licença que pede, por constar de huma materia, que os Ecclesiasticos de Portugal não podem ignorar sem culpa, e por o Author lhe dar huma boa ordem, e ornar com excellentes notas. Tudo he de mayor utilidade; confrontando-se os Canones da Disciplina antiga com os da moderna será facil o conhecer-se, q̃ o Espirito de Deos, que antigamente dirigia as decisões dos Concilios, ainda agora regula todos os seus acertos: o mesmo Espirito que di-

Impr. 106.

tou os Canones VI. e VII. da Collecção de S. Martinho Bracarense, para obviar a falta da residencia dos Bispos, foi tambem quem inspirou o Cap. I. de *Reformatione* da Sessão sexta do Concilio de Trento, que o Author cita, e transcreve; e o Cap. I. de *Reformatione* da Sessão vinte e tres, que póde lembrar tendo citado o primeiro, para precaver, que alguem não pensasse, que o castigo dos Bispos, que não residem, se limita ao perdimento da quarta parte das rendas do Bispado. Reparando-se os estudos em Portugal, como felizmente esperamos, accrescentando a esta materia não só esta, mas muitas mais luzes necessarias para a sua intelligencia, e chegará ella á sua extensão devida, e o Author tem sempre a gloria de ser hum dos primeiros, que concorreu para esta felicidade: este o meu parecer; Vossas Excellencias determinarão o que for mais justo: Lisboa no Collegio de Nossa Senhora da Estrella 16. de Novembro de 1763.

Fr. Joaõ Baptista de S. Caetano.

Sou do mesmo parecer. Collegio
de Nossa Senhora da Estrella. 19. de
Dezembro de 1763.

Fr. Francisco de S. Bento.

Vistas as informações, póde-se im-
primir o livro de que se faz men-
ção, e depois voltará conferido para se
dar licença que corra, sem a qual não
correrá. Lisboa 23. de Dezembro de 1763.

Trigozo. Mello. Lima.

DO ORDINARIO.

Vista a informação póde-se imprimir
o livro de que trata a petição,
e depois de impresso tornará conferido
para se dar licença que corra. Coimbra
3. de Novembro de 1763.

Bispo Conde.

D O P A Ç O.

*Censura de Diogo Barboza Machado,
Academico da Academia Real da
Historia Portugueza, e da Li-
turgica Pontificia &c.*

S E N H O R.

O Bedecendo ao respeitavel preceito de V. Magestade me vejo terceira vez constituido com virtuosa jaçtancia, Censor de huma obra, que sendo sagrada pelo assumpto, possui o indulto de ser eternamente aplaudida. Naõ tem jurisdicaõ a severidade critica para julgar do merecimento de seu Author, que com a indefessa applicaçõ à sublime empreza, que empredeu, conseguiu immortalizar o seu Nome nos Fastos da posteridade. Nunca mais dilatou a fama da sua veloz penna, que nas eruditissimas Notas com que neste volume illustrou os Canones da Igreja de Portugal, dos quaes foi zeloso Collectõr a primacial vigilancia de S. Martinho Arcebispo de Braga. Aceite V. Magestade com

benigno aspecto as literarias fadigas de
taõ eminente Escriitor por todas cederem
em gloria immortal desta Monarchia,
da qual V. Magestade he benefico Tute-
lar. Lisboa 20. de Fevereiro de 1764.

Diogo Barboza Machado.

Que se possa imprimir vistas as li-
cencas do S. Officio e Ordinario,
e depois de impresso tornará á
Meza conferido para se táxar, e dar li-
cença que corra, sem a qual não corre-
rá. Lisboa 23. de Fevereiro de 1764.

*Com quatro Rubricas do Desembar-
go do Paço.*

VIRO CLARISSIMO D. THOMÆ

DE INCARNATIONE,

*Can. Reg. Doctōri Theologiæ in Universi-
tate Collimbriensi, Lectōri Historiæ
Ecclesiasticæ in Academia Liturgica
Pontificia Gerhobus Steigenberger Ca-
nonicus Regularis Pollingæ in Bava-
ria.*

T Emerariam ne manum dixeris, dum
ignotam vides, Vir clarissime, Con-
fratris est, ad Te confugere qui cogitur.
Meditatur Abbas Canonorum Regula-
rium Lateranensium Pollingæ in Bavaria
Bibliothecam Scriptorum ex Ordine Ca-
nonicorum Regularium proprie dicto-
rum: Opus, quam Ordini Canonico ho-
noricum, tam executione difficile. Ca-
put supremum imperio influens in singula
membra Ordo Canonicus, sicut ceteri
Ordines, non habet; hinc confugiendum
est ad membra. Scripsit equidem Abbas
meus ad Præpositos Generales Congre-
gationum Lateranensis, S. Salvatoris, Lo-
tharingicæ, Gallicanæ, &c. Misit & me
Parisiis, ut præter alia etiam operi huic
necessaria colligerem subsidia. Mittun-
tur mihi, & Abbati meo undique sub-

fidia. Lusitania à regione nostra remotior erat, quam ut commercium aliquod literarium institueret, cogitare fas esset. Communicavit mihi Bibliothecarius ad S. Victorem Parisiis Canonicus Regularis catalogum Sociorum Academiae Liturgicæ, cujus tu membrum, sydusque splendidissimum refulges: vidi ex hoc solo, quam doctos viros nutriat S. Crux Collimbriensis. Vidi quam augmentari inde Bibliotheca Canonica posset. Non potui igitur non ad Te confugere, Confrater colendissime, ut notitiam mihi Scriptorum ex Ordine Canonico in Lusitania, librorumque ab iis editorum subministrare digneris, enixe rogans. Erit hoc tuis laboribus objectum non indignum, qui totus Historiæ Ecclesiasticæ insudas. Fructus ostendis quam bene. Opus tuum insigne, cui titulus *Historia Ecclesiæ Lusitanæ*, prodit, quo Auctore prodierit. Primum hujus operis tomum, credo, brevi excipiet secundus. Vellem mihi hoc tuum opus, sicut & alia Canonice Regularium opera, & Dissertationes in Academia Liturgica lectas comparare, & nisi ob loci distantiam tanti constaret, Parisios mittere. Refe-

ram tibi si in hisce me non destituas;
grates privatas, quas publicas reddet
Abbas meus in sua Bibliotheca Cano-
nica, in qua inter illustriora Ordinis no-
stri sydera collocaberis. Vale, Vir cla-
rissime, Ordinis nostri decus insigne,
hasque mecum benevolo oculo excipe.
Parisiis ex Abbatia Canoniorum Re-
gularium ad S. Genovefam 27. Mar-
tii 1763.

Servus & Confrater indignus
Gerhohus Steigenberger
Canonicus Reg. Pollingæ.

*Plurimum Reverende, Religiosissime, ac
Clarissime Domine Concanonice sum-
mo cultu mihi venerande, Thoma
de Incarnatione.*

EX literis Clarissimi mei Canonici
D. Gerhohi Steigenberger, qui mo-
do Parisiis moratur, intellexi, quâ ra-
tione literas ad eum dare, amore, &
spe plenas, non es dedignatus, cum ille
Parisiis Conimbriam ad Te scribere,
meumque *Elenchum Onomasticum Scri-
ptorum Ordinis nostri* tibi transmittere

est ausus. Ago tibi pro hac prima gratia tum meo, tum totius Ordinis Canonici nomine decentissimas gratias, utpote qui iuste mecum obstrictissimæ Cōgregationis tuæ scriptis, editisque libris insignes Viros, mihi per præfatum D. Gerhohum, qui nunc Parisiis dulces cum Musis moras nectit, imo universo orbi literato communicare, ceu promittis, non tergiversaberis. Cedet haud dubie id ad gloriam Ordinis, & Congregationis vestræ decorem plane eximium. Rogarem te, Vir clarissime, ut si hoc mihi obsequium præstare velis, simul etiam quantum potes, cognomina familiæ, officia Ordinis, gradus doctrinæ, annos saltem, quibus circiter floruerint, nisi anni natiuitatis, Professionis, vel mortis haberi possint, singulariter vero singula eorum opera in ea lingua, qua scripta sunt, simul cum loco editionis, & nomine Typographi, pleno videlicet titulo indicare, & si lubet etiam crism, aut elogium addere non graveris. Noli autem, dum tanta à te peto, absolvi à promissis tuis. Mitte ergo subsidia hac in re, quæcumque tibi lubent; pro singulis grati tibi erunt Germani, Galli, & Itali, quorum

nomine in meo opere publicas etiam
tuo nomini grates referam. Quod si forte
à quopiam vestrae Congregationis alum-
no jam editus esset liber, qui de e-
jusdem re literaria, virisque doctrina,
ac pietate illustribus ageret, & similes
libros opportuna occasione ad præfatum
meum Canonicum D. Gerhohum mittere
dignareris, duplo me tibi obstrictum
faterer. Scripsi ut vides ex abundantia
cordis, & quod intus ebullit, excepit,
imo eructavit & calamus: quare mihi
vitio vertendam esse sinceritatem meam
haud timeo, præsertim cum agitur de
bono, & gloria Ordinis, pro qua re
simul mecum ipse æmularis. Vale jam vir
doctissime, & affectum tuum, quem in
primis statim lineolis ad charissimum
meum Canonicum profudisti amplissime,
fixum, imo æternum esse jube. Dabam
ad S. Salvatorem Pollingæ in superiori
Bavaria Die 23. julii MDCCLXIII.

Tui cultor obsequentissimus

FRANCISCUS ZOPRE

Præpositus, & Abbas Lateranensis Pollingæ.

Viro plurimum Reverendo, atque Do-
-ctissimo D. Thomæ ab Incarnatione,
Doctori Theologo Colimbriensi,
Historiæ Ecclesiæ Lusitanæ
Auctori celeberrimo.

JOANNES FRIDERICUS SENGER

S. P. D.

QUOD ad Te, Vir plurimum Reve-
verende, ex tam longinqua urbe
litteras mittam, causa est præcla-
rissimi tui nominis fama, quæ in hac
urbe ad me pervenit. Legi duos prio-
res tomos Historiæ Ecclesiæ Lusitanæ
à Te elaboratæ, & maximo quidem cum
fructu legi, res Lusitanas magnis in deli-
ciis habens: hinc etiam doleo, quod oc-
casio, per quam priores operis istius to-
mos accepi, mihi deficiat hodie, nec
sequentes adeo facile possim obtinere;
nullus enim dubito, quin Reipublicæ
literariæ bono laborem tuum utilissimum
continuaveris. Spes tamen mihi superest,
quod per amicum Lisbonæ commoran-
tem voti mei possim compos fieri. Et
cum summo mihi ducam honori, litteras

ad Te dare , Vir plurimum Reverende ,
libertate ista usus sum , quæ Reipubli-
cæ literariæ civibus est communis , Te
rogitans velis illam mihi ignoscere. Na-
tione sum Germanus , & in Galliam iter
suscepi , literaturæ statum cogniturus ;
cum vero Lusitanarum literarum etiam
sim curiosus , semper occasionem quæsi-
earū notitiam obtinendi. Sed proh dolor !
nimis à vobis sum remotus. Unica mihi
patet via , si quidem liceret literarum
commercium Tecum instituire ; hinc ma-
xime gauderem , si Tibi placeret liber-
tatem istam mihi concedere , & de vo-
luntate tua me certiozem facere. Nihil
mihi , cunctisque meis civibus gratius
fieri posset , quam de progressu studio-
rum in vestris provinciis , deque libris
recentioribus doceri. Si literarum Ger-
manicarum notitiam petis , magno cum
gaudio , & pro viribus Tibi eam com-
municabo , omnia enim non magis inter
amicos , quam inter reipublicæ litera-
riæ cives debent esse communia. Vale , &
me ama. Burdigalæ die 12. Decembris
1763.

*Viro Clarissimo, ac Doctissimo D. Thomæ
de Incarnatione Concanonico suo Ger-
bobus Steigenberger C. R. Pol-
linganus.*

S. P. D.

Lætatus sum, Vir clarissime, sicut
qui invenit spolia multa, dum tuas
litteras nuper accepi. Sicut nec grates
debitas rependere, sic nec animi mei
sensum explicare queo, dum tot illustres
stellas tuo usus telescopio detexi globo
Canonico inferendas. Brevitati Epistolari
consulens ea tamen indicasti, quæ Bi-
bliothecæ Canonicae necessaria jure cre-
didisti. Edidit Abbas meus, cujus litteras
haud dubie receperis, anno 1762. Elen-
chum Onomasticum Scriptorum Ordinis
Canonici, in quo nomina solummodo
Scriptorum sibi cognitorum, & Biblio-
thecæ Canonicae inferendorum indicat.
Hunc quadraginta & ultra Scriptoribus
augere dignatus es. Collocat in eo Scri-
ptores, quos ut incertos haud dubie,
& confictos, talesque, quos adulatio
creavit, omisisti. Tuo, Vir clarissime,
judicio scire malo, quam aliorum. Hinc

hos, nisi aliud moneas è Bibliotheca Canonica delendos centeo, videlicet Ambrosium de Mello, Ludovicum de Mello, Joannem das Chagas, Andream à Cruce, Eugenium a Cazale, Ferdinandum Garcia. Legitur in vita S. Antonii de Padua, Canonici olim Regularis, quod Magistrum habuerit Abbatem Versellensem S. Andreae. Nulla ne manus tuas, Vir doctissime, umquam monumenta subiere; quæ Magistrum hunc expresse Thomam appellent? Nihil ne tibi constat de Thomæ hujus Versellensis ex Canonico Regulari S. Victoris Parisiensis primi ad S. Andream Versellis Abbatis commentario in Isaiam, vel in Pseudo Dionysium de Hierarchia, vel in Cantica Canticorum? Si quæ de his mihi cõmunicares, obsequio novo jam devinctissimum devincires. Interim sincerissimo ex corde precor, ut annus hic 1764. quem inchoas, tot annorum initium sit, quot ipse volueris. Aliud ceteris hoc anno obsequium junge, me que mandatis tuis honora. Totus tibi, quãtus sum, inservio, qui te mihi tradidisti totum. Vale, Vir doctissime, & pristino me affectu prosequere. Dabam Parisiis ex Regia Abbatia S. Genovefæ Idibus Januarii 1764.

PROLUSIO

AUCTORIS.

Non effræna scribendi libido, non adipiscendæ laudis cupiditas, sed patriæ amor, Lusitanæque Ecclesiæ antiquitates edendi desiderium, opus istud aggredi me compulit. Utinam possem omnes maiorum nostrorum leges, consuetudines, & sacros usus è tenebris, quibus jacent, eruere in posterorum exemplum. Laudemus quidem parentes nostros, qui hanc gloriam adepti sunt, ut Ecclesiam, quæ nos in Christo genuit, fundarent nullo vitio, nulloque errore maculatam. Ecclesiasticæ Historiæ, cui ex munere incumbo, quis partem hanc neget, cum vetus Lusitanarum Ecclesiarum disciplina exponatur ceteris Ecclesiis consona? Si neget: audax non ero, cum rogo, quinam sint hujus facultatis origines, fontes, ac exordia? Ast videre videor iri conclamatum, mecumque prolatum simul: Concilia, Canones, ac

Pontificum decreta. Id igitur Eccle-
siastico viro dignum: hæc studia maxi-
mopere delectarunt multos, qui suarum
Ecclesiarum annales evolventes, vigilias
noctium tranſierunt infomnes, ut earum
disciplinam sanctam, & optimam præ-
dicarent. Lusitani suæ Ecclesiæ antiqui-
tatum, nescio an dicam, parum avidi,
nec de iis publicandis umquam cogita-
runt, nec de earum studiis umquam so-
liciti fuere. Martini Bracarenſis colle-
ctionem, quæ vere nostra est, plurimi
habuerunt exteri: quotquot suas Cano-
num collectiones ediderunt, Martini
decreta allegant, transcribunt, expo-
nunt: omissis antiquis, recentiores Ju-
stellus, Doujatius, Labbæus, Loaysa, &
Aguirrius. Nostri vero aut inscii, aut
aurum patrium contemnentes silent, &
prætermittunt: laudant exteros, suos
merita laude fraudare non erubescunt.
Felix igitur Bracarenſis Ecclesia, quæ
Martino ditata Pastore suum Canonum
Codicem vidit, quo deinceps ceteræ sub
Suevorum Regibus regerentur. Quid in
eo Codice non sanctum, non justum,
non optimum? Alloquor cum Irenæo
adversus Hæreses cap. 10. *Neque hæ, quæ*

*J. Martini
Lusitanæ, Bn-
po la Summa, e
diplo. Archiepo
de Braga.*

in Germanica sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, nec quæ in Libia, neque quæ in medio mundi constitutæ, aliter credunt, quam nostræ. Quidquid in aliis Conciliis erant decreta, in suæ, & nostræ provinciæ usum collegit, & accommodavit Martinus. In multo maiori pretio habendus erit, si nova Ecclesiæ disciplina cum vetere conferatur. Ecclesiæ Fides omnibus sæculis, omnique ævo una est, numquam mutatur, eadem semper manet: ast disciplina non ita; Ecclesia Agni sponsa, & Regina adstat ab ejus dextris in vestitu deaurato circumdata varietate: mutatur enim illa, videlicet disciplina, labentibus annis senescit, ac pristinæ rursus se reddit juventuti, alia & alia subinde, & augmenta experitur, & decrementa. Verum si æqua lance expendatur nostrarum Ecclesiarum disciplina, quam in suo Codice excerptit Martinus, si pauca excipiatis, novæ multum non adversatur. Austerior quidem erat circa pœnitentes, quibus nunc veritatis, & charitatis instinctu maior est indulgentia: sed sum-

*talit
no
o. a.
L. h. si
quæ
id.*

ma Dei providentia per Ecclesiæ suæ Pastores maxima quadam sapientia, & charitate has omnes consuetudinum, legumque mutationes ita disponit, ut per has Ecclesia ipsa ad æternam sui sponsi gloriam, & sanctitatem accedat. Hæc etiam me impulerunt, ut veterum nostrorum extollerem disciplinam, imo animo moderarer meo, & calamo, ut primigeniæ Ecclesiæ nostræ flori, ac venustati suffragarer, ut nævos nullos in ea fuisse ostendam, quos sequens ætas elueret. Notæ, commentariive, quos in singulos Canones exhibeo à nemine hæctenus editos, à me primum exaratos, vobis testantur, quæ laude utramque veterem, ac novam disciplinam jungam. Harum legum, & consuetudinum exordia quærere institui, earum mutationis persequutus sum vestigia. Nil est quod ex Summorum Põtificum decretis, & Conciliis, Sanctorum Patrum sententiis non adduxerim. Ubi Summi Pontifices, Patres, & Concilia dixerunt, ac edixerunt, non erit cur me implacati censores convitio verberent; sed in laudem meam redundabit. quod sub his auctoribus loquar, & in medium proferam, quod ipsi protulerunt:

amo quidem Summorum Pontificum, Synodorum, & Patrum discipulum profiteri. Laboribus iis visum est mihi Lusitanæ Ecclesiæ, Ecclesiasticisque viris aptius consultum iri: faxit Deus Optimus Maximus, adjuvet Beatissima Virgo Academiæ Liturgicæ Protectrix eximia.

Itaque
no
no A.
L. L. S.
no
no.

VETUS CANONUM CODEX

LUSITANÆ ECCLESIAE.

DISSERTATIO.

Quoniam Canonum Codice usa est Hispaniensis Ecclesia ad seculum usque octavarum?

MIRABUNTUR fortasse alii quod rebus sæculi decimi secundi tomo 3. pertractatis, hæc differendum sit de veteri Hispaniensi Canonum Codice; quæ inquisitio ad sæculi octavi historiam potius esset referenda. Mirantur il, qui nesciunt sæculo incunte decimo tertio inter Martinum Bracarensem, & Petrum Compostellanum Archiepiscopos de veterum canonum, Conciliorumque auctoritate summa utrimque diligentia fuisse disceptatum. Pro sua

A

*Esta Dissertación
vino tambien no
fin de tomo 2.
de Historia de la
Iglesia de Fe. m.
chulo?*

Ecclesiæ juribus Petrus Innocentio III. veterem codicem, veteresque canones Lucenses, Bracarenses, Emeritenses allegabat, Martinus horum quosdam asserbat, alios pernegabat, suæ quoque Ecclesiæ libertates, ac privilegia tuiturus. Innocentius in Epistola ad Petrum Compostellanum juxta veterem codicem respondit. En nunc differendi causa, quin ordinatam sæculorum seriem interrumpam.

Hispaniensis Ecclesia à prima, quæ illi effulit, Euangelii luce, Sanctorum Patrum, venerabiliumque Conciliorum decreta in maxima habuit observantia, suarumque traditionum fuit retinentissima. Legat quiquis velit accuratus, Hispaniensium Patrum confessus, miretur necesse sit, eorum erga canones sacros reverentiam, executionem, & amorem. Hic erat eorum usitatus sermo in Tolitano secundo anno Christi 527. *Salva auctoritate priscorum canonum*: aut hujusmodi in Bracarensi secundo, quod alii primum dicunt, anno 563. *Instituta nobis Sanctorum Patrum recensitis antiquis canonibus innotescant*. Innotuerant

quidem iis, quæ in Catholica communione certæ erant regulæ, aut circa fidem, aut disciplinam, nec à primis iis institutis desciverant, quæ vel Jacobus, vel Paulus Apostoli, aut septem illi Sacerdotes, quos Petrus miserat eò Evangelium seminaturos, docuerant. Alte iis cura infederat custodiendi sacros libros, Juris Divini depositum, & Apostolicæ Sedis decreta, Apostolorum, Successorumque traditiones circa doctrinam, & morum reformationem ad perfectionis Christianæ normam: nullum tamen tribus primis Ecclesiæ sæculis canonum codicem, aut Juris Ecclesiastici compendium, aut collectionem observaverant, sed decurrentibus temporibus, Episcopi collegerunt jus suum, quo regerentur, composituri. Quod singulatim ostendo.

§. I.

Hispaniensis Ecclesia nullo Canonum Codice usa est ad sæculum usque quartū.

Primis iis Christiani nominis sæculis nullum generale Præsulum Concilium fuerat, quod canones stabilien-
dæ, & firmandæ Ecclesiarum disciplinæ

utiles præscriberet. Quapropter Isidorus Hispalensis Antistes lib. 6. Etymologiarum cap. 16. ait: *Canones autem generalium Conciliorum à temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus namque annis persecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diversas hæreses est scisa, quia non erat licentia Episcopis in unum convenire, nisi tempore supradicti Imperatoris. Particularis aliquis Patrum confessus in una, aliave provincia, aut civitate, Ethnicis ignorantibus, fuit adunatus. Agrippinus S. Cypriani Decessor de baptismo ab hæreticis collato, quod nullum esset, ad annum circiter 215. Concilium habuit, cujus meminit idem Cyprianus Epistola 71. ad Quintum: *Agrippinus bonæ memoriæ vir cum ceteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa, & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit. Iconii, & Synadæ in Oriente eadem de causa Patres convenerant anno ferme 256. Iconiense Concilium refert Firmilianus Cæsareæ in Capadocia Episcopus in Epist. ad S. Cyprianum inter**

Cyprianicas 75. Synadense vero extat apud S. Dionysium Alexandrinum in Epist. 3. de baptisate ad Philemonem Romanum Presbyterum, cujus fragmenta excripit Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. Tres quoque Synodos Carthagine convocasse S. Cyprianum Rebaptizantium sententiam firmaturum legitur in Cypriani Epistolis: anno scilicet 256. Secundæ interfuerunt 71. Episcopi, ut quæ in priore sancita erant de baptismo hæreticorum non recipiendo, pleniore iudicio stabilirentur: ad tertiam eodem anno 87. Episcopi accesserunt sententiam illam verisimilibus rationibus confirmantes. Incredibile sane visum erit, quod sub Valeriano, & Gallieno ejus filio, Ethnicis Imperatoribus, ac Christianorum hostibus, Præfules ii suas relinquerent sedes in una civitate Carthagine, & non in angulo, aut in crypta conventus illos habituri.

Horum Conciliorum canones ex Africa in Hispanias adventasse, Hispaniensesque Episcopos ad manus evolvisse, & non observasse contendunt, qui Pseudo-Juliano antiquitatum nostrarum con-

farcinatori credunt : quamobrem Hispani Præsules , referente eodem Juliano , aut quisquis ille sit confarcinator , n. 3. *frequentè ad annum 270. habebant Synodos Tarracone , Hispali , Carthagine , Bracaræ , Toleti , Emeritæ : an baptismus collatus ab hæreticis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia , validus esset. Quæ concluderant validum , nec sic ab hæreticis baptizatum baptizandum. Admiranda Conciliorum multitudo in una Hispania , & credenda , si aliud locupletius , quàm Juliani foret testimonium. Non renuam suarum Synodorum decreta ad Hispanos Antistites misisse Cyprianum , cujus tempore , & sequentibus Hispanæ Ecclesiæ magna erat conjunctio cum Africana. Ex Epistola Cypriani anno 258 data ad Clerum , & plebes in Hispania consistentes de Basilide , & Martiale Episcopis libello idololatriæ maculatis , & depositis , ea constat consuetudo ; cum Hispaniarum Præsules in ea causa vicinos , & amicos Carthaginensis provinciæ in Africa Episcopos consulissent , quid agendum esset. Fortasse decreta illa Africana audirent Hispani , in*

Codicem tamen non referre deliberarunt, nam eodem anno 256. Romæ ea profcripserat Stephanus Papa, cui Hispani omnes adhærebant.

Per me etiam aliquando Episcopi nostri inter se verbo, aut scripto dubitarent, aut conferrent circa suarum Ecclesiarum regimen, & mores, Romanumque Pontificem consulerent, ut semper in Ecclesia Catholica moris fuit: rescripta illa quasi privata habebantur, nec in universæ regionis Codicem ferebantur. Hinc Hispani Episcopi, qui tam impense postea curarunt Conciliorum collectionem, sive canonum Codicem initio cujuslibet confessus legi clara voce à Diacono alba induto, ut palam erit legenti quamplurima Hispanorum Conciliorum acta, nullum invenire potuerunt antiquius, quam Eliberitanum. Igitur antea nullum fuerat in Hispaniis Concilium, nullus canonum Codex, & collectio: nullus eorum, qui à S. Leonis Magni tempore usque modo laborarunt in colligendis Conciliis ubique terrarum celebratis, ullum Hispanicum Codicem in tribus primis sæculis invenerunt, aut

leviter indicarunt. His potius credamus quam Pseudo-Dextro, & Pseudo-Juliano, aliisque Pseudo-Chronicis, quorum figmenta eruditus omnibus jam sunt cognita.

Quæres : ignota ne erat Hispanis Ecclesiis Apostolicarum traditionum observantissimis illa canonum collectio, quæ Apostolicorum nomine circumfertur? Hujus vetustatem eadem origine censet Illustrissimus Parisiorum Archiepiscopus Petrus de Marca lib. 3. cap. 2. de Concordia Sacerdotii, & Imperii, quæ erat liber Constitutionum Apostolicarum sub nomine Clementis Romani, à Carolo Bzovio è Græco in Latinum translatus, & editus anno 1563. Deserendus est Turrianus Jesuita, qui octoginta quinque illos canones pro veris, ac genuinis agnovit, libroque singulari Apostolicam iis auctoritatem indicavit adversus Magdeburgenses Centuriatores. Quis enim sibi persuadeat Apostolos omnes, vel aliquos ex iis edidisse canones, & veteres quatuor priorum sæculorum Patres illos non revereri; sacrarumque scripturarum Canoni non adscripsisse, sicut alia Apostolorum opera adscripserunt? Quis

credat Apostolos in canonibus 46. & 47. baptismum ab hæreticis collatum repro-
basse, & Ecclesiam Romanam omnium
Matrem, & Magistram, Apostolicarum
traditionum custodem contrarium sequi,
& hæreticorum baptismum ratum judi-
casse, si Evangelicis verbis conferatur?
Verisimilius judico Apostolicos canones
collectionem esse quamplurium cano-
num ante Nicænum primum Concilium
in particularibus Synodis prolatorum,
quæ postea temporum successu adaucta
est, & continet disciplinam, quæ secun-
do, aut tertio, aut quarto ineunte sæ-
culo in quibusdam Ecclesiis servabatur.

Cum Illustrissimo de Marca supra
allegato existimo difficile esse in tam al-
to veterum scriptorum silentio hujus col-
lectionis tempus indicere, quam tamen
certum est Concilii Nicæni tempus ante-
cessisse. Nam Alexander Episcopus Ale-
xandrinus objurgans Episcopos, qui sus-
cipiebant Clericos, quos ipse excommu-
nicaverat, id contrarium esse ait canoni
Apostolico, scilicet, decimo quinto: &
Constantinus Imperator juxta Eusebium
lib. 3. de vita ejusdem cap. 9. Eusebium

laudat, quod ad Antiochenam Ecclesiam Orientis Metropolim electus, Cæsareæ Sedem relinquere, & ab una in aliam transferri recusaret, quod Apostolicum canonem rigide mallet observare; canone enim Apostolico 13. illæ Episcoporum translationes inhibentur. Nondum vero illam collectionem agnoverant Orientales, quando Cyprianus in Africa, & Firmilianus in Capadocia controversiam de hæreticorum baptismo cum Stephano Papa inierunt. Stephanus antiqua consuetudine nixus traditionem veterum non esse innovandam asserebat, neque repetendum baptisma, quod hæretici conferrent; sed manus in pœnitentiam baptizatis esse imponendas. Si huiusmodi canones eo tempore cogniti essent, quid opportunius hac disputatione, ut in testimonium adducerentur? Ad confirmandam consuetudinem, quam in Oriente Stephano objecerat Firmilianus, proferri poterat canon 46. in hæc verba: *Episcopum, aut Presbyterum, hæreticorum suscipientem baptisma damnari precipimus; quæ enim conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fidei cum infidele?*

Imo est conjecturandum decretum istud Iconiensis Concilii sub Firmiliano in eam collectionem fuisse transcriptum, quæ sæculo exeunte tertio compacta est.

Si Orientalibus, unde exiit, primis tribus sæculis Codex ille erat ignotus, quid mirum, si Hispanis? Ab Oriente in Occidentem migravit sæculo ferme exeunte quinto. Anno 494. Gelasius Papa in Concilio septuaginta Episcoporum Romæ adunato, apud Gratianum Dist. 15. c. 3. definivit quinam essent libri sacri, & divini utriusque testamenti: quatuor Œcumenica Concilia rata, & sancta esse iussit; librosque veterum Patrum receptos ab Ecclesia, & inoffenso pede percurrendos discrevit ab apocryphis, & caute legendis. Inter apocryphos librum Canonum Apostolorum numeravit, cum libro Lufanæ, & libro Physiologo, qui ab hæreticis conscriptus fuerat, veluti ille Canonum liber non tantum Sacræ Scripturæ, imo nec Ecclesiasticam, ut Concilia. & Sanctorum Patrum opera, quæ Gelasius ipse recensuit, auctoritatem non haberet, sed nævis quibusdam esset conspersus, unde

Apostolorum nomen falso proferebat. Argumentum istud insigne adversus Turrianum.

Igitur à Gelasii tempore collectionem illam audivit Occidentalis Ecclesia. Scio alios scriptores ad sæculum quartum ad Damasi Papæ ætatem Occidentalis Ecclesiæ notitiam de prædictis canonibus antevertisse: & decretum illud *Sancta Romana Ecclesia* de recipiendis, & non recipiendis libris, non Gelasio, sed Damaso adjudicasse; inter quos est Balusius in notis ad Gratianum pag. 444. qui testatur à Dacherio secum fuisse communicatum vetustissimum Codicem Dionysii Exigui, unde decretum istud Damaso Papæ tribuitur, Gelasium vero postea renovasse, auxilisque eorum Auctorum nominibus, qui post Damasum vixerunt. Baronius ad annum 69. scribit Cresconianam collectionem continere Concilium Romanum sub Damaso, in quo de libris apocryphis agitur. Ast Codex antiquissimus à Pearsonio lectus, & à Lantfranco ex Beccensi Monasterio in Angliam adductus hoc titulo inscribitur: *Decreta Gelasii Papæ de recipiendis li-*

bris, que scripta sunt ab eo cum septuaginta eruditissimis Episcopis. Gelasii esse docent Lupus Abbas Ferrariensis in fine Epistolæ ad Carolum Calvum, Burchardus Wormatiensis Episcopus, Mabillonius in disquisitione de cussu Gallico, Pagius ad annum Christi 494. in critica Historico-Chronologica in Annales Baronii, & Petrus Coustant in Diatriba de decreto Gelasii Papæ tom. 2. Epistolar. Romanorum Pontificum. Quidquid sit: vel Damasi sit illud decretum, vel Gelasii, aut Hormisdæ, ut in antiquissimo Vergellensi codice Balusius, & Chiffletius in Jurensi illud adscribit, in præsentia manet in concussum ante sæculum quartum collectionem illam Apostolicam dictam Hispanos nostros latuisse.

§. II.

Canonum Codex apud Hispanos à sæculo quarto usque ad quintum.

Aliud fuit à quarto sæculo circa canonum Codicem in Occidentali Ecclesia iudicium, aliud in Orientali, nec cõmuni quodam jure tenebantur. Orienta-

lis Ecclesia canonum collectionem observabat, quam eruditi primam vocant, alii tamen secundam, Apostolicorum Canonum aliam respicientes. Hæc post Concilium Constantinopolitanum primum Œcumenicum edita est; cujus Auctorem multi conjiciunt fuisse Stephanum Episcopum Ephesinum ex veteri Codice manuscripto Bibliothecæ Palatinæ, quem vidit, & legit Justellus Stephani Ephesini nomine inscriptum. Doujatio in lib. 3. canonicarum prænotionum cap. 3. de antiqua canonum collectione non liquet quis sit Auctor. Certe ex Socrate lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. *Sabinus Macedonianorum apud Heracleam Thraciæ urbem Episcopus diversarum Synodorum acta in unum corpus collegit.* Sabinus ille Macedonianæ hæreseos sectator Cōstantinopolitani primi temporibus vixit. Ex hac collectione in Concilio Chalcedonensi, cui interfuit Stephanus Ephesinus Episcopus, & subscripsit, fortasseque Codicem illum adduceret, quatuor canones Concilii Antiocheni recitati sunt. Hæc Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos,

Laodiceos, & Constantinopolitanos, omnes numero sexaginta quinque continebat.

Occidentalis Ecclesia solis canonibus Nicænis, & Sardicensibus, qui Nicænorum nomine laudantur, cum Sardicensis Synodus Nicænae veluti esset appendix, utebatur. Innocentius Papa I. referente Sozomeno lib. 8. cap. 26. juxta editionem Henrici Valesii ad Clerum Constantinopolitanum ait: *Quod autem spectat ad Canonum observantiam, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicæe definiti sunt. Quos solos Canones sectari, & agnoscere debet Ecclesia Catholica.* Sardicenses canones cum Nicænis contineri in eodem Codice ex ipsamet Epistola colligitur; *Nam hereticorum canones à Nicænis dissentientes non solum non esse sequendos, ait Innocentius, verum etiam una cum hereticis, ac schismaticis dogmatibus penitus cōdemnandos, quemadmodum in Sardicensi Synodo jam condemnati fuerant ab Episcopis, qui precesserant.* En clara de Sardicensis Concilii canonibus expressio apud Innocentium, & suum erga canonum Codicem

judicium adversus alium, quo Orientales Præsules utebantur in S. Joannis Chrysostomi causa.

Id etiam prodidit Zozimus Papa, qui ab Episcopis Africanis petiit, ut tres canones Nicæni Concilii executioni mandarent, unum de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem, alterum de appellationibus Presbyterorum, minorum Clericorum ad Episcopos vicinos, tertium de non eundo ad Comitatum, id est, ne Episcopi Afri irent ad aulam Imperatoris. Nicænorum Canonum nomine Sardicenses allegabat Zozimus, utpote qui erant simul in eodem Codice, veluti Nicænorum appendices. Africani, his mandatis acceptis, nationale Concilium 217. Episcoporum convocarunt, & Pontifici Bonifacio Zozimi successori responderunt se scripturas ad Patriarchas Orientis, Constantinopolitanum, & Alexandrinum, ut ad se mitterent authentica exemplaria Nicæni Concilii; interim tamen se eos canones servaturos, salva diligentiore inspectione authenticorum exemplarium. A Cyrillo Alexandrino, & Attico Constantinopolitano

litano exemplaria Nicana acceperunt Afri, & cum tres illos non invenissent canones, Cælestino Papæ scripserunt, ne facile deinceps admitteret appellantes ex Africa.

Hinc non sine jure dicam Africanam Ecclesiam id temporis Zozimi præter Carthaginenses canones, solos Nicænos observasse, nec Sardicenses habuisse in Codice. Si habuit, cur Cælestinum rogant Afri ne audiret ex Africa appellantes? Quod in Sardicensi Concilio erat institutum. Id firmasse videtur Magnus Parens Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 34. Cresconius Augustino objecerat principium Concilii Sardicensis (potius dicerem Philippopolitani, quod Orientales Ariani, relicto Sardicensi, seorsim Philippopoli habuerunt) ubi Donati Carthaginis Episcopi nomen inveniebatur. Respondit Augustinus: *Disce ergo quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod totum jam diu est, ut habemus in manibus, contractum maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum.* Igitur non aliud Sardicense Con-

cilium agnoverat Augustinus Præsul Africanus anno 406. quo scripsit adversus Cresconium, quam Philippopolitanum; alias unum ab alio in ea causa discerneret Cresconio, unum Catholicum pro Athanasio, aliud hæreticum contra eundem.

Ex dictis inferes Nicænos etiam canones Afris fuisse ignotos, nam Augustinus ipse Africanus in Epistola 213. alias 110. ait: *Adhuc in corpore posito beatæ memorie patre, & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Si id inferas, dicam quod sentio: tempore, quo Augustinus hæc scripsit, anno scilicet 426. Nicænum Concilium jam agnoverat, ejusdemque decretum circa duos in eadem civitate Episcopos: quomodo illud allegaret, si non agnosceret? Respicit, & refert quod multo antea acciderat anno 395. cum ordinatus est Episcopus, Valerio adhuc in vivis agente. Quis credat universam Africanam Ecclesiam Nicænos canones ignorasse, unde Episcopi Nicæam Concilii

causa accesserant, teste Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. *Ex omnibus Ecclesiis, quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant ... simul convenere. Ad institutum redeamus.*

Ecclesia Hispaniensis collectionem illam Nicænorum, & Sardicensium canonum in Romana observatam reverebatur sæculi quinti initio: in quo decem & novem Episcopi anno Christi 400. Toleti congregati dixerunt: *hoc in omnibus placuit, ita ut si quis, cognitis gestis Concilii Nicæni, aliud quam statutum est, facere presumpserit, & non in eo perseverandum putaverit, tunc excommunicatus habeatur, nisi per correptionem fratrum emendaverit errorem.* Collectioni huicce addiderunt Patres Hispani in suarum provinciarum regimen canones Eliberitanos, & Cæsaraugustanos, nec non aliorum conventuum, quibus Diœceses in disceptandis negotiis suis uterentur. Idem Praesules supra memorati cap. 1. ob oculos habuerunt statutum, quod Lusitani Episcopi antea ediderant: *Placuit ut Diacones, si vel integri, vel casti sint, & continentis*

vite, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen ut si qui etiam ante interdictum, quod per Lusitanos Episcopos constitutum est incontinenter cum uxoribus suis vixerunt, Presbyterii honore non cumulentur. Solemne quidem erat unicuique provinciae, aut nationi suorum Episcoporum sibi decreta retinere, quibus regerentur; ad id enim provinciae, aut nationis Synodi congregabantur.

In suum etiam Codicem Hispani transmiserunt Siricii Papae Epistolam anno 385. circa Ecclesiasticam disciplinam ad Himerium Tarraconensem, universaeque Hispaniae Episcopos Carthaginenses, Bæticos, Lusitanos, atque Gallæcianos. Hæc in pretio habita fuit semper apud Hispanos, ut, aliis Romanorum Pontificum Decretalibus ad eosdem, aut rescriptis deperditis, temporisve successu vitatis, hæc sola integra ab iis sæculis permaneret. Eam laudat Isidorus in additione ad librum S. Hieronymi de Viris Illustribus Catholicae Ecclesiae: *Siricius Clarissimus Pontifex, & Romanae Sedis Antistes scripsit opusculum directum ad*

Himerium Tarraconensem Episcopum, in quo inter alias Ecclesiasticas disciplinas constituit hæreticorum baptisma nequaquam ab Ecclesia rescindendum. Siricianæ Epistolæ meminerunt Patres Concilii Toletani I. in sententia definitiva adversus Priscilliani sectatores, qui post eam acceptam, nec satisfacere, nec vera conversionis signa edere voluerunt.

§. III.

Canonum Codex apud Hispanos à seculo quinto usque ad sextum.

IN Concilio Chalcedonensi lecta est Orientalium canonum collectio. qui in præcedentibus Conciliis fuerant instituti; & canone I. decreverunt Patres: *Regulas Sanctorum Patrum per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere, collectionique adjecerunt Concilii ipsius Chalcedonensis canones. Canonibus iis ita compositis postea sexto sæculo vim publicæ legis tribuit Justinianus Imperator Novella constitutione 131. Sancimus igitur ut sancti Ecclesiastici Canones, qui à San-*

Etis quatuor Conciliis expositi sunt, & confirmati vim legis obtineant. Dissoluto Concilio, cum Paschasinus Lilybæi in Sicilia Episcopus, Lucencius Asculanus Episcopus, Bonifacius, & Basilius Presbyteri S. Leonis Papæ Legati Romanam sese reciperent, Orientaliumque Synodorum canones in Chalcedonensi lectos secum ferrent, in una collectione Romani Pontificis auctoritate per Occidentem viguerunt, quos Christophorus Justellus in lucem edidit hoc titulo: *Codex Canonum Ecclesie universæ.* Verum si Justellus prætenderit Codicem hunc fuisse *Ecclesie universæ* veluti eo omnes Ecclesiæ uterentur ante Chalcedonense, non annuam; cum Romana Ecclesia alio Codice, ut vidimus, esset usa: lubens tamen sistam, si eo dicatur nomine, quia Synodus universalis Chalcedonensis universam Ecclesiam repræsentans in controversiis decidendis sequuta est.

Hujus collectionis, quæ post Chalcedonense prodiit. duo manuscripta exemplaria extare affirmat Illustrissimus de Marca in Monasterio Benedictino Rivi-Pollensi apud Cataloniam, unde alia ex-

emplaria, & schedas secum duxit in Gallias: *Priorem illam* (ait Marca apud Eminentissimum de Aguirre Dissert. 2. de Collectionibus antiquis Conciliorum, & canonum tom. 1. pag. mihi 47.) *collectionem hactenus ignotam ex Codicibus duobus manuscriptis Monasterii Rivi-Pollensis in Catalonia, favente Numine erutam, hic explicamus: quæ maioris ponderis esse debet apud nos, quod eâ usi sunt Gallicani Episcopi usque ad tempora Hadriani Pontificis, & Caroli Magni, & una cum Gallicanis canonibus ab Ecclesia Hispana usurpata fuerit usque ad Saracenorum eventum, quemadmodum etiam in Africa. Ejus autem collectionis hæc est methodus: incipiunt Canones Nicæni, sequuntur Ancyrani Neocesarienses, & Gangrenses; deinde Sardicenses canones: postea Antiocheni, & Laodiceni. Subjunguntur statim viginti septem canones Concilii Chalcedonensis: deinde Carthaginenses. Carthaginenses isti canones additi erant.*

Collectio ista à Concilii Chalcedonensis tempore recepta est in Ecclesiis Gallicana, & Hispana; annoque 504.

Symmachus Papa in Concilio IV. Romano citat duos Gangrenses canones ex antiqua versione, quæ in ea est, ac eos canones *Apostolica auctoritate conditos* ait, quod S. Leonis Papæ auctoritate in Occidente fuerint probati, & recepti. Hispanam Ecclesiam cæterarum Occidentalium exemplo diu usam fuisse veteri illo codice canonum, qui in primo Chalcedonensi canone fuit confirmatus, & quo Romana utebatur, notum fit cuiquam Hispaniarum Concilia evolventi. Patres Concilii Bracarensis II. post septemdecim capitula contra Priscillianistas in Concilio Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitanæ, & Bæticiæ provinciarum S. Leonis suggestione adunato recensita, subdiderunt: *Ut instituta Sanctorum Patrum, recensitis antiquis canonibus, innotescant... Omnes Episcopi dixerunt: placet quod dictum est, & congrua res est, ut quibus fortasse per incuriam abolita sunt Ecclesiastica constituta, audiant sanctorum canonum regulam, & observent. Relecti sunt ex Codice coram Concilio tam generalium Synodorum canones, quam localium.*

Quidquid sit in præsentia, an ante collectionem S. Leonis Magni auctoritate concinnatam, alia fuerit collectio Romanæ Ecclesiæ, quam Quesnellius in Appendice ad opera S. Leonis Dissert. 12. ait se è tenebris eruisse, quæ asservabatur in Orielenfi Oxoniensis Academia Collegio, cui illam dono dederat ejusdem Collegii Socius unus Andreas Mankisvellensis: ex eodem quippe Thuaneo, & Oxoniensi constat fuisse laboratam post Chalcedonense Concilium, cujus canones ibi collocantur. Egregiam rem Quesnellius ageret, si ante Chalcedonensem Synodum vetustiore ostenderet Romanæ Ecclesiæ Codicem, quam quem supra protuli Nicænis canonibus, & Sardicensibus congestum. Post Chalcedonensem Synodum canones Græci latinitate fuerunt donati, & Occidentibus communicati, non una tantum in eam rem interpretatione laborata: manifestum est enim alia interpretatione fuisse usum Martinum Bracarensem, alia Ferrandum Diaconum Carthaginensem S. Fulgentii discipulum, alia Isidorum, aliaque Carolum Magnum, qui ab Ha-

driano I. Codicem habuit antiquum, in quo veterum Pontificum Decretales erant; sed Siricii usque ad Gregorium Juniores: mirum ergo non est Justellum antiquissimum Codicem id temporis edidisse, alium Quesnellium invenisse, cum omnes in re synchroni sint, & antiquissimum aliud exemplar in Bibliotheca Vaticana retineatur, cujus meminit Dionysius Exiguus in Epistola, seu Præfatione ad Stephanum Salonitanum Episcopum: atque hanc priscam eum appellasse credo inter cæteras, quæ ætate sua circumferebantur.

Dionysius Exiguus natione Scytha, Romani Monasterii Abbas, Græce, & Latine peritus, sub Justiniano Imperatore, interpellatus à Laurentio Romanæ Ecclesiæ Presbytero, cum cerneret Græcorum Conciliorum canones, Latinitate quidem donatos, deformes tamen, sive interpretis vitio, sive librariorum incuria, novam versionem edidit circa annum 520. eamque collectioni suæ recenti inseruit. Canones per numerorum seriem à primo Nicæno usque ad canonem tertium Constantinopolitanum, qui est ultimus, & centesimus sexagesimus

quintus totius collectionis, observat. Omissis canonibus Concilii Ephesini, Concilii Chalcedonensis decreta excipit, atque ait: *in his Græcorum canonum finem esse.* Collectioni, qua universalis Ecclesia utebatur, adjunxit 50. canones Apostolicos, Concilii Sardicensis, & Conciliorum Africanorum, quos Latine editos fuisse inquit. Integra collectio constat è 165. canonibus antiquissimæ collectionis Græcæ; deinde 27. canonibus Concilii Chalcedonensis (vigésimum enim octavum ejusdem Concilii Romana Ecclesia non probaverat) 21. Sardicensis, & 138. Conciliorum Africanorum, præter 50. Apostolicos, quorum omnium summa est ad 401. canonum capita. Et ut collectioni suæ nihil deesset, Pontificum Romanorum decreta ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia, Siricii, Zozimi, Bonifacii, Cælestini, S. Leonis, Gelasii, & Anastasii, Exiguus adscripsit: antiqui collectores Pontificum diplomata omiserant; postea tamen additione accesserunt aliæ Hilari, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormisdæ, & Gregorii Junioris.

Dionysianam collectionem mox Romana Ecclesia suscepit, ut testatus est Clarissimus Cassiodorus Dionysio ipsi coævus: *Ex Græcis exemplaribus (Dionysius) canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus, atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quod hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Iis canonibus à Sede Apostolica receptis, omnes Occidentis provinciæ, excepta Hispania, ad dirimendas lites, & judicia Clericorum peragenda usæ sunt. In Hispaniis eorum non fuisse usum sexto sæculo credo ex Martino Bracarenfi Archiepiscopo mox laudando, qui interpretationem suam exaravit, ut defectus priscae interpretationis expiaret.

Objicere tamen quosdam jam video: quomodo Romana Ecclesia, aut Occidentis provinciæ ulnis suis Dionysianum exceperunt Codicem, cui viginti septem canones Concilii Chalcedonensis inserti erant, qui à S. Leone Papa non fuerant approbati, nec suscepti? Quod argumentum etiam fieri potest adversus illam primam collectionem, de quâ supra, quæ

prædictos viginti septem canones continebat. Bellarminum Eminentissimum lib. 2. de Romano Pontifice cap. 22. in suum patrocinium adducunt, qui Chalcedonenses canones robur non habuisse probat, quod S. Leo in Epistola ad Episcopos, qui Concilio illi interfuerunt, scribit se non tantum per legatos, sed etiam *per approbationem gestorum Synodaliū eandem cum Synodo inivisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, propter quam Generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Cum gesta in sola fidei causa S. Leo approbaret, inde infert Bellarminus Canones Chalcedonenses fuisse irritos. Bellarmino subscripsit Christianus Lupus tom. 2. Dissert. de Synodo Chalcedonensi cap. 4.

A S. Leone Concilii Chalcedonensis canonem 28. non approbari est certum quod maxime ex Epistola ejusdem 53. sive 80. secundum Quesnellii editionem, in quâ Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani ambitum perstringit, quod primarias Sedes Alexandrinam, & Antio-

chenam ex prædicto canone, secundo, & tertio loco, sive gradu spoliare intenderet, secundum locum sibi usurparet, Ponticæ, Asianæ, Thraciæque Diœceson Metropolitanarum privilegia invaderet, dum eorum ordinationem sibi vindicabat, cujus potestas semper penes uniuscujusque provinciæ Synodum relederat. Ceteros vero Chalcedonenses canones Leonem reprobasse non constat; quod si constaret, Gelasius I. Papa, qui triginta annos post Leonem in solio Apostolico sedit, in Epistola Decretali ad Lucaniæ Episcopos Chalcedonensis canonis vigesimi sententiam exprimens, eum reverendorum canonum appellatione non cohonestaret: *Quisquis (ait) desertor Ecclesiæ, nullis existentibus causis ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit, promotus reverendorum canonum, vel ipse, vel receptor ejus, atque provector, constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus præfixere servanda.*

Igitur S. Leo in Epistola prædicta ad Episcopos, qui Chalcedone conveniant solum ad canonem 28. & non ad

alios attendit: mentemque Leonis sic explicat Facundus Hermianensis lib. 5. cap. 4. *Beatissimus Leo scribens non sententiam super Ibae Epistolam prolatam, neque Episcopatum praedicto Ibae redditum, & cetera, quae in Synodo Chalcedonensi de quibusdam personis decreta sunt; neque canones Ecclesiasticos disciplinae salubriter illic à Sanctis Patribus constitutos attendit, cum diceret, ut sanctam Synodum ad extirpandam solum haeresim, & ad confirmationem Fidei Catholicae studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & his similia: sed superbam potius elationem Constantinopolitani Episcopi, sicut verba indicant.*

Dionysii collectionem sexto saeculo Hispanos non observasse, primamque aliam canonum interpretationem eos habuisse suam in pisciamus. Unde Natali Alexandro Dissert. 21. saeculi 1. non permittam quinquaginta priores canones Apostolicos in Hispaniis saeculo sexto fuisse receptos, atque in judiciis adhibitos: *Collectio (inquit ille) & interpretatio Dionysii Exigui in Hispania aeque, ac*

in Gallicis recepta est, ut constat ex Concilio Bracarenfi II. anno 363. in quo postulante Lucretio Episcopo relecti sunt ex Codice coram Concilio tam generalium Synodorum canones, quam localium, quorum observantia capitulo vigesimo ejusdem Concilii præcepta est. At male sibi persuasum habuit Natalis ex Concilio Bracarenfi collectionem Dionysianam, ac proinde quinquaginta canones Apostolicos in eâ primum editos in Hispaniis obtinuisse. Si collectio illa, aut ii canones Hispanis essent recepti, cur Martinus Bracarenfis Archiepiscopus non attendit, non inspexit, sed suam collectionem exaravit à Dionysiana diversam? Dionysiana collectio integra canones 401. comprehendit, collectio vero Martini 84. tantum constat: hæc in codicem canonum veterum Hispanorum relata est; de illa ne ullum quidem verbum reperitur. Dionysii Collectio quinquaginta canones Apostolorum præ se fert; Martini ne unum quidem, præter non nulla similia eorum decreta, quæ ex aliis Conciliis decerpfit.

Dices : Martinus in collectione
cap.

cap. 26. canonem Apostolicum 18. respexit: *Siquis viduam, aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad Clerum, aut si obrepserit, rejiciatur.* Quæ verba ex Apostolico canone adnotavit Doujatius, & Labbæus in Martini collectione. Amabo, dicant, cur Bracarenfis Antistes Innocentii I. verba non aspererit potius in Epistola ad Victricium Rothomagensem, indeque caput suum laboraverit, quam ex Apostolico? Innocentius ita loquitur: *Siquis viduam, licet laicus duxerit uxorem, sive ante baptismum, sive post baptismum, non admittatur ad Clerum.* Sic etiam refertur cap. *Siquis viduam* 5. Dist. 34. apud Gratianum. In canonibus vero Apostolorum legitur: *Siquis viduam, aut ejetam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis, quæ publicis spectaculis mansipentur, non potest esse Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deserviunt.* Ergo non magis Apostolicum canonem, quam Innocentii decretum attendisse censendus est Martinus; nec certa est Doujatii, Labbæi

que adnotatio. Parcant mihi, quæso, viri illi eruditissimi, quod ab iis discedam.

Itaque à S. Leonis tempore stabat Hispanis propria collectio, ad quam Patres in Conciliis Bracarensibus, sive secundum, sive tertium dicas, inspexerunt, ejus canones relegentes, ut nullus auderet præterire. Verum cum *in partibus Orientis canones ab antiquis Patribus essent constituti, & Græco prius sermone conscripti, postea in Latinam linguam translati, scriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa in iis prætermiserant, & propterea in ipsos canones aliqua apud simpliciores videbantur obscura: quamobrem* (ita alloquitur Martinus ipse in Epistola ad Nitigesium Lucensem Episcopum) *ei visum est, ut cum omni diligentia, & ea, quæ per translatores obscurius dicta erant, & quæ per scriptores fuerant immutata, simplicius, ac emendatius restauraret.* Codicem in duas partes divisit, hoc observans, *ut illa, quæ ad Episcopos, vel universum Clerum pertinent, una ex parte conscripta sint, & quæ ad laicos adtinent, simul sint adunata, ut de quo*

capitulo aliquis scire voluerit, possit celerius invenire. Hinc verisimilius con-
jicio Hispanis Dionysianam collectionem
fuisse ignotam, quam si a Dionysio Græcæ
linguæ peritissimo emendatam, ac trans-
latam agnoscerent, novam interpretatio-
nem non adhiberet Martinus.

Integer Codex 84. capitula conti-
net, quorum priora 68. ad Clerum, &
res Ecclesiasticas attingunt, reliqua vero
laicos. E quibus vero fontibus ea decer-
pserit, Martinus non indicavit; nec in
antiquis editionibus, nec in ea, quam
ex antiquis manuscriptis edidit Garsias
Loaysa in collectione Conciliorum His-
paniæ, nec in altera, quam prodidit Emi-
nentissimus de Aguirre, horum capitulo-
rum origines exseribuntur. Ex maiori
parte est versio canonum Orientalium
Hispaniarum provinciis accommodata,
quarundam additionum ope, vel qua-
rundam mutilationum. Reliqui vero ca-
nones nativa lingua editi sunt è Conciliis
Toletano I. Bracarenensibus, Carthaginen-
sibus III. & IV. Turonensi, Arelatensi,
& Agathensi. Quà de causa nescio, Mar-
tinus abstinuit à Conciliis Eliberitano,

Nota

Ilerdensi, Gerundensi, Valentino, Toletano II. aliisque Hispanicis, quæ præcesserant. Doujatius Martini collectionem non solum cum ceteris editionibus, & antiquis manuscriptis contulit, variasque lectiones ad marginem posuit, sed & fontes, sive canones, è quibus ille desumpsit, diligenter contexuit, quæ hac lectionum varietate, & canonum additione inserta est tom. 1. Bibliothecæ Juris Canonici veteris anno 1660. & tom. 5. collectionis Conciliorum Labæanæ.

Hortefius in Annalibus Gallicianis tom. 1. lib. 4. cap. 16. Hispaniarum amore patrio arreptus ait: Martini collectionem fuisse primam, quam vidit orbis in Oriente, & Occidente. Quid non cogit patriæ cæcus amor? Ex supradictis, ne crambem recoquam, palinodiam canat, & se convincat Hortefius, necesse est. Primus quidem fuit Martinus canonum compilator, qui eos ætatis suæ, ac Hispaniarum disciplinæ accommodaverit. Equidem Martini collectio alias celeberrimas anteivit, Isidori, Reginonis Abbatis Prumensis apud Tre-

veros, Burchardi Wormatiensis, Ivonis Carnotensis &c.

Quesnellius Dissert. 12. de Codice canonum Ecclesiæ Romanæ dicit sibi videri plus Martini collectioni tribui, quam par sit; non enim liquet eam vel ad Concilium Lucense missam, vel ab illo susceptam, ac *auctoratam* fuisse: alium de eadem apud Hispanienses Synodos silentium: ex quibus existimat certum antiquæ versionis, & Codicis usum in Hispaniarum Ecclesiis perseverasse. Quesnellio oppono Justellum, Marcam, Doujatium, Vanespenium, aliosque Canonici Juris professores, qui præter Hispanos, Martinianam collectionem laudant in Concilio, & per Hispanias susceptam, *auctoratamque*. Aliquorum placita expendam, & judicium meum hac in re propalabo: Martinum collectionem suam ad Nitigesum Lucensem Metropolitanam, & ad Concilium Lucense missæ constat certe ex inscriptione Epistolæ supradictæ, quæ veluti hujus Codicis præfatio singulis editionibus ita exhibetur: *Domino Beatissimo, atque Apostolicæ Sedis honore suscipiendo in Christo*

Fratri, Nitigesio Episcopo, vel universo Concilio Lucensis Ecclesie Martinus Episcopus.

Vasæus in Hispaniæ Chronico ait Martinum ad Nitigesium canones remisisse, ad Conciliumque Lucense anno 563. Illustrissimus de Marca inquit: *Hæc Martini collectio à Concilio Lucensi in Gallicia probata fuit anno 571.* Caetanus Cennius de Antiquitate Ecclesie Hispanæ Dissert. 3. cap. 3. n. 13. *In Concilio Bracarensi II. cui præerat S. Martinus Lucretii successor, recitata ab eodem est sua collectio Græcorum Canonum, ut regula esset deinceps Episcopi pro cujusvis parochiæ, seu Diocesis regimine.* Nunc omissis, quæ adversus Concilii Lucensis tempus à Vasæo, & Marca varie stabilitum opponerem, certum est nec anno Domini 563. nec 571. nec 572. in Concilio Bracarensi Martini collectionem fuisse compositam, & recitatam. Si composita, & recitata, cur Bracarenses Patres anno 572. adunati veterem collectionem relegerunt, observarique jusserunt, ut ex ejusdem actis constat? hanc ne relegerent, observarentque, si alia nova

patriæ disciplinæ accommodata iis esset ad manus ?

Concilium illud Lucense ante Bracarense III. sive II. convocatum est anno 569. causa novæ Metropolis instituendæ, finiumque Diœcescon signandorum, non recentis canonum collectionis adornandæ. Floresius Eremita Augustinianus tom. 4. Hispaniæ sacræ tract. 3. cap. 3. §. 3. Lucense istud Concilium pro Metropoli apud Lucum erigenda profert incertum; pro Martini collectione exaranda falsum omnino reputat. Quoad hanc ultimam causam Floresio consentio, minime quoad primam. Loaysa ex illius actis pauca invenit in tot exemplaribus manuscriptis Conciliorum, quibus usus fuit, præsertim numerationem, & partitionem Metropoleon, Episcopatum, atque oppidorum unicuique annexorum: quamvis ipse adjiceret nonnulla ex Rasi Arabe incredibilia, quæ Philippus Labbæus tom. 5. Conciliorum rejicit, veluti guerras, aut aniles fabulas ab illo Arabe excogitatas. Lucas Tudenfis Auctor sæculi decimi tertii scripsit: *Rex iste Theodomundus* (sive Theodemi-

rus) fecit celebrare Concilium in Gallia apud Lucensem urbem. Interfuit huic Concilio cum ceteris Episcopis Galliae Adaulfus Leoginensis Episcopus ad subscriptam divisionem roborandam, quæ fuit prima divisio, & facta est hoc modo. Tudensem sequitur Vafæus in Chronico Hispaniarum.

Concilium aliud Lucense stabilendum erit, ad quod Martinus canones suos, in unum corpus collectos remisit; quo vero tempore adunatum, aut verumne esset Concilium, sive Patrum confensus certo omnibus non constat. Causa equidem justissima erat, ut Patres provinciae Lucensis apud Lucum, Nitigesio Præsidente, convenirent ad Martini collectionem suscipiendam, qua postea in judiciis uterentur. Verum cum de hujusmodi Synodo adunata non exhibeantur acta, nec hætenus apparuerint, Floresii supra allegati interpretationem amplector circa significationem Concilii Lucensis, quod in Martini Epistola inscribitur: *Universo Concilio Lucensis Ecclesie*. Porrò ad Nitigesium Lucensem Episcopum Metropolitanam, & ceteros

Episcopos Lucensis provinciæ, seu Metropolis, aut territorii scripsit Martinus: nec novum, inauditum ve est Concilii nomine Episcopos alicujus provinciæ intelligi, quin in unum congregentur in Synodo. Ex S. Isidoro 6. Etymologiarum cap. 16. *Concilii nomen tractum est ex more Romano: Romani enim Concilia, seu conventus appellare consueverant territoria, in quæ provincias diviserant, & quo populus sub uno præcipuo capite, aut Præsidente conflueret iudicia petitem.*

Hinc est quod Gallæcia in duas Metropoles, sive provincias divisa, istæ nominari cœperint Synodus, sive Concilium Lucense, Synodus, sive Concilium Bracarense: quapropter in Bracarensi III. cum ex utraque provincia convenirent Præsules, dictum est in initio: *Anno secundo Regis Mironis die Kalendarum Juniarum, cum Galleciæ provinciæ Episcopi tam ex Bracarensi, quam ex Lucensi Synodo cum suis Metropolitanis simul convenissent.* Eadem erat apud Africanos Patres significatio: in Concilio Carthaginensi III. anno 397. Præsidente

Aurelio Carthaginensi Episcopo, canon secundus prolatus est, ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt; singulis quibusque annis Concilium convocetur. Ad quod omnes provincie, quæ primas Sedes habent, de Conciliis suis (attendas quæso) binos, aut quantos elegerint Episcopos mittant. Ad Episcopos igitur Lucensis Metropolis missi sunt canones, quos iidem suscipere observandos; nec creditu est eos in ea communi omnium causa à Martino Bracarensi descivisse; quod satis est ut Quesnellio negem eam collectionem in Hispaniis non habuisse auctoritatem, & plus ipsi tribui quam par sit.

Gratianus Martini codice usus est, in eo tamen intelligendo defecit. Multa allegavit ex Concilio Martini Papæ, quæ omnia sumpta sunt ex libro capitulorum Græcarum Synodorum Martini Bracarensis; antiquitus enim Episcopi Papæ dicebantur. Hujus Gratiani erroris origo esset, ut cum aliquis hæc capita Martini Papæ, idest Episcopi, inscripsisset, alius Papæ Romani interpretaretur. Præterea Gratianus non attendens Mar-

tinum è canonibus Græcis capitula desumpsisse, illa veluti à Græcis diversa in ejusdem quaestionis decisionem adduxit. V. gr. Distinctione 46. can. 1. exhibet quartum canonem Nicænum; & eundem ex Martini versione rursus adfert canone 7. ejusdem distinctionis: alia exempla omitto, quibus ille non advertit esse canones Græcos in Latinum versos, & videri possunt apud Antonium Augustinum de emendat. Gratiani Dialogo 10. & 11. Unde Martini Bracarenfis Codex non parum subservit, ut genuinum canonum sensum assequamur, qui in Gratiani Decreto occurrunt.

§. IV.

Canonum Codex apud Hispanos à seculo septimo ineunte usque ad initium octavi.

ANno Domini 633. in Concilio Toletano IV. cui præfuit S. Isidorus Hispalensis Episcopus, cap. 4. præscriptum est, ut Concilii initio Diaconus Alba indutus Codicem canonum in medio proferret, & capitula de agendis

Conciliis pronuntiaret. In eo Codice non modo erant canones generalium, & localium Conciliorum, ut supradictum est, sed etiam constituta Romanorum Pontificum; in eo quippe Concilio cap. 16. dicitur: *Synodica Præfulum Romanorum decreta, Apocalypsim Joannis inter divinos libros recipiendam constituunt.* Eminentissimus de Aguirre tom. 4. Conciliorum Hispaniarum in lucem edidit indicem, sive Codicem sacrorum canonum, & Conciliorum, quibus Ecclesia Hispana ab ineunte sexto sæculo usque ad octavi initium regebatur, ex Mss. antiquo Marchionis Mondejarenensis, quod olim fuerat Clarissimi Viri Joannis Peres Episcopi Segobiensis.

In decem libros dividitur 1. de Institutionibus Clericorum. 2. de Institutionibus Monasteriorum, & Monachorum, atque ordinibus poenitentium. 3. de Institutionibus judiciorum, & gubernaculis rerum. 4. de Institutionibus officiorum, & ordine baptizandi. 5. de Diversitate nuptiarum, & scelere flagitiorum. 6. de Generalibus regulis Clericorum, ceterorumque Christianorum, &

regimine principali. 7. de Honestate, & negotiis Principum. 8. de Deo, & de iis, quæ sunt credenda de illo. 9. de Abdicatione hæreticorum. 10. de Idolatria, & cultoribus ejus, ac scripturis pacis, & muneribus missis. Liber 1. titulos sexaginta comprehendit. 2. tres & viginti. 3. quadraginta quatuor. 4. quadraginta. 5. decem & octo. 6. sex tantum. 7. undecim. 8. novem. 9. novem quoque. 10. septem.

En Concilia, ex quibus veluti fontibus transumpti sunt hujusce Codicis canones. Græca; Nicænum, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense. Africana; Carthaginense I. Carthaginense III. Carthaginense IV. Carthaginense V. Carthaginense VI. Carthaginense VII. Milevitanum II. Gallica; Arelatense I. Arelatense II. Arelatense III. Valentinum, Tauritanum, Regiense, Arausicanum, Vasense, Agathense, Aurelianense. Hispanica; Eliberitanum, Tarraconense, Gerundense, Cæsaraugustanum, Ilerdense, Valentinum, Tole-

tanum I. Toletanum II. Toletanum III. Toletanum IV. Toletanum V. Toletanum VI. Toletanum VII. Toletanum VIII. Toletanum IX. Toletanum. X. Toletanum XII. & XVI. Bracarense I. Bracarense II. Bracarense III. Martini Bracarensis excerpta, Hispalense I. & Hispalense II. Celeberrimum inter Hispanos Emeritense provinciæ Lusitanæ omittitur, summoque obruitur silentio in eo Codice. Si causam postulent, ignarus etiam quæram cur Bracarensis Martinus Eliberitanum, aliaque Hispana Concilia in sua collectione prætermisit? Sæculo decimotertio ineunte inter Hispanos Præfules de Emeritensis Synodi auctoritate adhuc disceptabatur, Martinus Bracarensis ad Innocentium III. authenticum esse negabat: Petrus Compostellanus asserbat cum aliis contineri in libro, qui corpus canonum appellabatur, quem Alexander III. per interlocutorem authenticum comprobaverat.

Decretales Epistolas Codex hic exhibet S. Damasi ad Paulinum Antiochenum: Siricii ad Himerium Terracoensem, ad universos Orthodoxos, ad Me-

diolanensem Ecclesiam. S. Innocentii ad Decentium Eugubinum, ad Victricium Rothomagensem, ad Exuperium Tolosanum, ad Felicem Nucernianum, ad Maximum, & Severum per Brutios, ad Agapitum, Macedonium, & Maurianum Apulos, ad Rufum, Gerontium &c per Macedoniam, ad Florentium Tiburtinensem, ab Probum, ad Aurelium, & Augustinum, ad Julianam nobilem foeminam, ad Bonifacium Presbyterum, ad Alexandrum Antiochenum, ad Maximianum Macedonium, ad Acacium Beroæ, ad Laurentium Soniensem, ad Rufum, Eusebium &c. ad Toletanam Synodum.

S. Zozimi ad Esychium Salonitanum. S. Bonifacii ad Honorium Augustum, Honoriique rescriptum; ejusdem Bonifacii ad Patroclum, Remigium &c. per Gallias; ad Hilarium Narbonensem. S. Cælestini ad Venerium, Marinum &c. Galliarum Episcopos, ad universos Episcopos per Viennensem, & Narbonensem provincias, ad universos Episcopos per Apuliam, & Calabriam. S. Leonis ad Januarium Aquilejensem, ad Flavianum Constantinopolitanum, Flavianique res-

ponsum ad Synodum Ephesinam II. ad Theodosium Augustum de eadem Synodo, ad Pulcheriam Augustam de eadem Synodo damnanda, ad Faustum, Martinum &c. Presbyteros, & Archimandritas, ad Theodosium Augustum, ad Pulcheriam Augustam, ad Marianum Augustum, ad Turibium Asturicensem, ad omnes Episcopos per Italiam constitutos, ad omnes Episcopos per Siciliam, ad universos Episcopos per Campaniam, & Picenum, ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium &c. ad Rusticum Narbonensem, ad Anastasium Thessalonicensem, ad Nicetam Aquilejensem, ad universos Episcopos Mauritaniae Caesariensis, ad Theodorum Forojuliensem, ad Leonem Ravenatem, ad Dioscorum Alexandrinum, ad Eutychetem Presbyterum.

S. Hilarii Synodale anno 465 ad Ascanium, & universos Episcopos Tarraconenses. S. Simplicii ad Zenonem Hispalensem, & Acacii ad Simplicium. S. Felicis ad universos Episcopos per Siciliam ad Acacium Constantinopolitanum, ad Zenonem Hispalensem. S. Ge-
lasi

Iasi ad universos Episcopos per Luca-
 niam, ad Episcopos Siciliae. S. Anastasii
 ad Anastasium Augustum. S. Symmachi
 ad Caesarium Arelatensem. Hormisdæ ad
 Justinum Augustum, ad Joannem Con-
 stantinopolitanum, ad Joannem Illicita-
 num, ad universos Episcopos per His-
 panias, ad Sallustium Hispalensem, ad
 Epiphanium Constantinopolitanum, ad
 universos Episcopos per Bæticam. Vigi-
 lli ad Profuturum Bracarensem. S. Gre-
 gorii ad Leandrum Hispalensem, ad Rec-
 caredum Regem.

Hujusmodi Codex à nothis illis un-
 dique purus est monumentis, sive De-
 cretalibus, quibus Gratianus, & alii
 post sæculum octavum collectiones suas
 consperserunt, spurias illas merces dico,
 quas à Pseudo-Isidoro in Christianum
 orbem invecas sciunt eruditi, quod e-
 tiam adnotavit eruditissimus Coustan-
 tius in Præfatione ad Romanorum Pon-
 tificum Epistolas n. 150. qui de hoc Co-
 dice ab Aguirrio edito agens ait, se duo
 elegantissima exempla vidisse in Biblio-
 thecis Colbertina, & Coylliniana. Apo-
 stolorum canones, quos Dionysius Exis-

guus primus collegit, in hoc Codice de-
siderantur: unde non sine causa conji-
cio Dionysianam collectionem ante sæ-
culum octavum Hispanorum Præfulum
manibus nondum evolvi, quam si evolve-
rent, aut observarent, ex eadem eos in
Codicem suum exciperent, nec inter
apocrypha numerarent.

Quis fuerit hujus collectionis Au-
ctōr, operosum sane erit indicare. Cen-
nius in Præfatione de Antiquitate Ec-
clesiæ Hispanæ S. Isidoro Hispalensi vin-
dicat, Isidorum fuisse Auctorem Conci-
lii Toletani IV. canones frequenter ibi-
dem allatos evicisse ait; quippe quos non
additos, insertos ve operi, ut paucos
admodum ex Toletanis posterioribus,
ipsa docet, sed tota cum rerum summa
per materias digestos, & opportune ad-
hibitos clare ostendit: ex integro tamen
ab eo factam non esse indicant poste-
riora Concilia, sed ab alio, aliisve ad-
ditam, auctamque. Nec sine fundamento
existimo Isidorum collectionem canonum
suam edidisse, quæ postea aliorum Con-
ciliorum additione in maius volumen
excrevit. Cum in Concilio Toletano III.

sub Reccaredo Gothorum Rege Catholico canone i. statutum esset, ut manerent in suo vigore Conciliorum omnium statuta, simul & Synodicæ Sanctorum Præfulum Romanorum Epistolæ, Isidorus primam illam collectionem, quæ in Hispaniarum Conciliis legi consueverat, addidisse creditur, adhibitis omnibus Conciliaribus Actis, & Decretalibus, quæ præcesserant, simul & aliis usque ad Hispalensem II. Synodum, & Toletanam IV. quibus ipse præfuit Isidorus.

Id quoque monstratur ex præfatione illa Isidoriana, quam ex antiquissimis Monasterii Rivi-Pollensis exemplaribus exscripsit Petrus de Marca, quæ etiam respondent exemplari antiquissimo Bibliothecæ Vaticanæ scripto tempore Nicolai I. & capiti 16. lib. 6. Etymologiarum. Nam cum Isidorus Hispalensis aliquanto post Concilium Hispalense II. anno 619. celebratum circa collectionem laborasset, & postea libros Originum, sive Etymologiarum, quos affectos, & non adhibita ultima manu reliquit, S. Braulio ejus operis interpolator attendens partem præfationis illi loco con-

venire, ubi de canonum origine, & ratione agebatur, verba illa huc transtulit, & fecit exscribi. Hanc præfationem Pseudo-Isidorus ille canonum, & Decretalium architectus sibi usurpavit, mutatis, multisque additis, suæ farraginis auctorem ausus est facere egregium Hispanæ Ecclesiæ Doctorem. Imo ex Mercatore ipso, qui Isidori collectione, & nomine abusus est ad suas nobis merces depromendas concludendum est Hispalentem Præsulem canones in corpus unum retulisse.

Objiciet tamen aliquis ab Isidoro nullam canonum collectionem fuisse compositam, cum S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus ejus æqualis in suo catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis eam inter Isidori ipsius opera non enumeret. Ast inquiri: quis umquam Chronicon, & Historiam Suevorum, ac Wandalorum Isidori esse scætum genuinum, & germana scripta negavit, quod Ildefonsus prætermiserit? Nonnulla prætermisit Ildefonsus, quæ Braulio memoravit. Quod etiam aliis quorundam operum Auctoribus contigisse est certum;

veluti Eusebio Cæsariensi circa quatuor libros vitæ Constantini Magni nullatenus ab Hieronymo laudatos, & similiter Acacio circa ejusdem Eusebii vitam. Braulio, indicatis nominatim S. Isidori lucubrationibus, subdidit: *Sunt & alia ejus viri multa opuscula, & in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta.* Et quis vetet inter ea computari, aut intelligi debere illam collectionem?

Purus is, putusque, qualis ab Hispalensis Archiepiscopi manibus exiit, ad nos non pervenit Codex iste, sed jam plurimis decretis posterioribus auctus, à viro tamen Hispano. Cujus indolem, & erga nationem amorem indicant Hispaniarum Concilia maiori ex parte ibidem allegata, & Romanorum Pontificum decreta ad Hispanos missa: nam cum tot sint Gregorii Magni Epistolæ circa mores, & disciplinam, quatuor tantum ad Ecclesiam Hispaniensem spectantes ibi colliguntur, ad Leandrum scilicet Hispalensem, & Reccaredum Regem. Cum Synodo claudatur Tolitana XVI. quæ anno 693. perfecta est, neque recentius quidquam exhibeat, cer-

tum fit, vel ante, vel non multo post
sæculi octavi initia hanc collectionem
fuisse absolutam. Atque ideo debetur
Hispanis ea laus, ut Saracenorum usque
irruptionem suos canones in suarum Ec-
clesiarum regimen connecterent, recen-
ferentque; & in texendis hujus generis
operibus Reginones, Anselmos, Burchar-
dos, Ivones, Gratianos, ceterosque ca-
nonum compilatores anteiverint: quod
eruditus Constantius in Præfatione no-
tavit. Sicut & Hispanorum summa est
gloria, ut leges etiam suas in unum Co-
dicem proprium reducerent à Cinda-
vintho Rege Gotho inceptum, à Rec-
esvintho filio continuatum, ab Ervigio
tandem perfectum ad sæculi septimi fi-
nem: eo enim tempore utraque Hispa-
niarum potestas Sacerdotalis, & Regalis
suis legibus floruit, indiesque floureret,
nisi irrupentium barbarorum tyran-
nide premeretur.

Quis hunc Hispanum Codicem ab
Aguirrio editum attente perspicuus, spu-
riam, Isidoroque Hispalensi suppositam
non judicet collectionem, quæ larvato
Isidori nomine, sive Peccatoris, sive Mer-

catoris sæculo octavo publicata fuit ; & Decretales Epistolas Clementis , aliorumque Romanorum Pontificum , qui Siricium præcellerunt , in se continet. Creditu ne est Isidorum Hispalensem veras , germanasque habuisse , contemni tamen , & deesse supra allegato Codici , in quo litteræ à Damaso usque ad Gregorium Magnum recensentur ? Si Isidorus ederet , hîc etiam ederentur : tanta semper fuit Isidori apud Hispanos auctoritas. Fœtus ergo est Auctoris cujusdam , qui post sæculum septimum , & octavum vixit , ac collegit plurima , quæ id temporis , jam è vivis ablato Præsule Hispalensi , evenerunt : videlicet sexta Synodus generalis anno 681. decreta Gregorii III. & Bonifacii Archiepiscopi Moguntini.

Sæculo nono , anno scilicet 870. Hincmari temporibus eo Isidori nomine collectio isthæc insigniebatur. Hincmarus in opusculo cap. 24. de illa sic loquitur : *De libro collectarum Epistolarum ab Isidoro , quem de Hispania allatum Riculfus Episcopus Moguntinus in hujusmodi , sicut & in capitulis Regiis*

56 VETUS CANONUM CODEX
*studiosus obtinuit, & istas regiones eo
illo repleti fecit. Quis enim sibi persua-
deat Isidorum virum eruditum, omni lo-
cutionis forma ornatum, & ingenio præ-
stantem, testibus Braulione, & Ildefon-
so Episcopis, certa, & vera credidisse
monumenta Patribus omnibus anteriori-
bus ignota, & quæ apud eruditos ho-
mines gravi suspicione laborant? & cer-
te propter phrasas à secundi sæculi, quo
dicuntur data, elegantia, & nitore alie-
nas, & propter eundemmet stylum, qui
in omnibus est, ita ut ab uno, eodem-
que Auctore, non à diversis, eodem-
mane, non variis temporibus scriptæ ex-
istimentur: tum propter frequentissi-
mum usum Vulgatæ Scripturarum versio-
nis ab Hieronymo Maximo Doctore a-
dornatæ. Si Chronico Juliani Toletani
credendum esset, quod Laurentius Ra-
miresius Parisiis edidit, non laborandum
esset de collectionis istius Auctore. Nam
juxta Chronicon Isidorus Mercator Epif-
copus Setubensis ope cujusdam Mona-
chi compilationem egisse fertur, obiit-
seque anno 805. Verum quia Chronicon
eruditi viri respuunt, nec credunt; de
Auctore adhuc sub judice lis est.*

Cardinalis Bona lib. I. Rerum Liturgicarum ait : *Dudum ab eruditis observatum est Romanorum Pontificum Epistolas decretales usque ad Siricium supposititias esse à quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi seculi pia fraude confectas.* Blondellus inter Calvinistas celebris inquit : harum litterarum Auctorem fuisse aliquem Germano-Francum Caroli Magni imperio subditum , non vero Hispanum , sive Monachum , sive Antistitem. Quamvis sit arduum indagare figulum , Blondelli argumenta hac in re non sunt contemnenda. Verisimile non est Hispanos id temporis sub Maurorum jugo , & tyrannide oppressos sine Rege , sine Sacerdotibus , si Astures excipias , dispersos Sanctuarii lapides gementes , animum suum intendisse iis concinnandis , proferendisque Epistolis , quas in tot antea actis suæ gentis Conciliis maiores sui nec meminerant. Ex quibus Ecclesiarum archivis latentes eduxerunt in lucem , si omnes flamma , ferroque impie fuere consumpti ? Plurimas ad Gallos , Germanos , Italosque datas Mercator ille fingit, quin-

que tantum ad Hispanos, quod non faceret Hispanus de gentis suæ gloria ex iis stabilienda sedulus, & accuratus. Nec etiam erant in archivo Romano; nam Hadrianus I. anno 774. canonum Codicem dedit Carolo Magno, ut hoc dono eum Ecclesiasticæ disciplinæ custodem, & vindicem ageret, in quo tantum Romanorum Pontificum Decretales à Siricio ad Gregorium usque Juniorem citatæ erant, ut supra dictum.

Scrinia Moguntina illarum Epistolarum vel officinam, vel emporium fuisse opinandum est. Riculfus, qui Moguntinam Ecclesiam rexit ab anno 787. usque ad 814. primus in Gallias attulit labantem Romanæ Ecclesiæ auctoritatem in Gallis restauraturus. In Concilio Aquigranensi anno 836. de unctioe olei infirmorum, & chrismate ab Episcopis quotannis in cœna Domini consecrando decernitur juxta Decretales è secunda Epistola Fabiani. Benedictus Levita jussu Autgarii Moguntini Episcopi è scriniis Ecclesiæ Moguntinæ tres ultimos Capitularium libros in unum corpus compegit, eosque Lothario, Ludovico, &

Carolo Francorum Regibus circa annum 850. inscripsit. In iis passim è Clementis, Anacleti, Pii, Euaristi, Fabiani, & ceterorum Pontificum apocryphis litteris petitur, quamvis Auctorum nomina supprimantur. Anno 847. tempore Leonis IV. nondum extabant in collectione canonum apud Romanam Sedem extantium, cum Leo ipse IV. in Epistola ad Episcopos Britanniae tom. 8. Conciliorum Labbai, & apud Gratianum Dist. 20. cap. de Libellis dicat: *Sanctorum Conciliorum canones non esse relinquendos, vel decretalium regulas, quae habentur simul cum canonibus: quibus autem in omnibus Ecclesiasticis judiciis utimur, sunt canones Apostolorum, Nicenorum, Ancyranorum, Neocaesariensium, Gangrensi-um, Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Sardicensium, Africanorum, Carthaginensium, & cum illis regulas Praesulum Romanorum Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Celestini, Leonis, Gelasii, Hilari, Symmachi, Simplicii, & Gregorii Junioris. Vide igitur, quanti eas Germani praeter ceteris gentibus habue-*

rint, ut iis potius adjudicentur Aucto-
ribus, quam Hispano, aut Romano sæ-
culi octavi. Cum eruditissimo Coustantio
in præfatione dico Hincmarum collectio-
nem illam de Hispania allatam conje-
cisse, quod totam collectionem Hispa-
nam simul cum ea farragine continet.

In collectionibus Conciliorum ha-
ctenus prælo expressis, ex Isidorianisque
mercibus compactis exhibetur ad initium
præfatio quædam iis verbis incipiens:
Isidorus Peccator servus Christi: aut hisce
Isidorus Mercator servus Christi: quam-
obrem tum præfatio, tum collectio illa
Archiepiscopo Hispalensi S. Isidoro male
adscribitur. Præter alia plura exempla-
ria vetera, id ostendit Codex Vaticanus
n. 630. optimæ notæ. Egregium sane
esset monumentum si Isidoro Hispalensi
esset coævum, sed anno circiter 860.
conscriptum est tempore Nicolai I. Ro-
mani Pontificis, quo adnitente, earum
Epistolarum usus per Occidentis pro-
vincias invaluit. Se acerrimum earum
Epistolarum vindicem præstitit Nicolaus,
& datis litteris anno 865. ad universos
Galliarum Episcopos contendit, ut eas

reciperent, & magno conatu Gallicanorum Episcoporum argumenta repulit. Excipiebant illi Pontificum priscorum Decretales non esse admittendas. quia non erant in canonum Codice. Reposuit ille ex hoc sequi nec ipsas Scripturas Sacras veteris, & novi testamenti suscipiendas, quia inter Ecclesiasticos canones non recensebantur. Ea erat Nicolai erga Decretales illas reverentia, ut ejus tempore prædictus Codex Vaticanus esset conscriptus. Quisquis tamen fuerit Auctor, sive confarcinator, Isidori nomine larvato se finxit, ut tanti Doctoris auctoritate merces suas, veluti pretiosissimas vendicaret, quæ barbaricæ libidini Hispanias devastanti id temporis subductæ existimarentur.

Falsi inde convincendus est Blondellus, qui Isidori Eulogii Cordubensis fratris nomine, & non Hispalensis Episcopi fictas conjecit: *Quid autem vetat* (inquit ille) *Moguntinos choragos impietatis, quam tum temporis meditabantur, dramati intentos scenæ servisse; ac Isidori Mercatoris nomen, sive inscio, sive conscio Eulogii fratre Isidoro, earum,*

quas sub manibus habebant, Epistolarum collectioni præposuisse, ut scilicet crederent imperiti tantam fabularum anilium molem de Hispanis ab Hispano, Mercatore quidem, sed pietatis causa profugo. Isidorum Eulogii fratrem, & negotiatorem exulem inter Germanos Francos demonstrat Blondellus ex ipsius Eulogii Epistola ad Wilefindum Pampelonensis Sedis Episcopum: *Olim, Beatissime Papa, cum dira seculi fortuna, quæ fratres meos Alvarum, & Isidorum à genitrali solo abducens, pene in ulteriores Togatæ Gallie partes apud Ludovicum Regem Bajoariæ exulare fecit.*

Hæc Blondelli conjectatio facile dissipatur. De Eulogiana hac Epistola dubitant eruditissimi quidam Hispani, qui illam suppositam, & apocrypham ferunt. Josephus Pellicer lib. 5. annalium n. 52. pag. 233. Marchio Mondejarensis in Examine Chronologico, & Gregorius Majans in vita Nicolai Antonii eam confictam credunt. Ast cum alii non inferioris subsellii vindicent Mabillonius sæculo 4. Benedictino part. 2. Pagius ad annum 859. Abarca tom. 1. fol. 53. & re-

centior Florenus Hispanus tom. 10. tract. 33. cap. 12. alia via incedam Blondelli conjecturam labefacturus. Dato quod vera sit Eulogii ad Pampilonensem Epistola, ex eadem monstratur Isidori hujus nomine confecto Decretalium collectionem primam non vidisse lucem. Ingelramnus Metensis Episcopus anno Christi 785. suam capitulorum collectionem Hadriano I. obtulit, quæ Hadriani nomine falso est edita, cum ejusdem sit Ingelramni, & supposititias à S. Clemente ad Siricium Epistolas complectitur. Riculfo Moguntinus Episcopus antequam Episcopus esset, primus in Gallias eas attulit, si Hincmaro credimus supra laudato. Riculfo iste ex Moguntinorum Præfulum serie anno 814. è vivis excessit: Isidorus Eulogii frater in Cordubensi persecutione, quæ anno Domini 850. excitata est, in Gallias exulavit: & anno 851. Eulogius in carcere positus ad Wilefandum scripsisse dicitur. Vide, quæso, quanto tempore Isidoriana illa collectio à Riculfo in Gallias asportata, & ab Ingelramno admissa Isidorum Eulogii fratrem anteciret & quo jure corruat Blondelli judicium.

Tandem animadvertendum est Decretales illas ante Siricium à Pseudo-Isidoro collectas, quamvis genuinæ non sint, sed suis Auctoribus secundum Eruditos suppositæ, nec errores in se continere, nec à Fide Catholica fuisse alienas. Receptæ fuerunt, atque ut legitimæ adhibitæ in omnibus canonum collectionibus post sæculum octavum, quod prodierunt. Eo quoque deventum est, ut, teste Illustrissimo de Marca lib.3. de Concordia cap. 6. n. 6. tantis nominibus veterum Pontificum cesserint unâ cum reliquis Episcopis, etiam Gallicanæ Ecclesiæ Rectores, qui in Remensi Concilio ab Hugone, & Roberto Galliarum Regibus convocato anno 992. Anastasii, Julii, Damasi, & aliorum Pontificum Epistolas expenderunt in causa Arnulphi, veluti in canonum censum essent receptæ. Et cum Burchardus Wormatiensis Episcopus novam canonum collectionem institueret circa annum millesimum decimum, eam, ex sæculi sui sensu, primorum Pontificum litteris auxit, eandemque rationem tenuit Ivó Carnotensis in sua canonum collectione, quam ad Ecclesiæ

clesiæ Gallicanæ usum anno circiter 1100. publicam fecit : aliique bene multi, qui in Gratiani decretum commentarios exararunt. Aliqua hujusmodi Epistolarum loca à Gregorio IX. auctoritatem acceperunt, cum sua fecerit, illa collectioni suæ inferendo ; videlicet Lucii in cap. 1. de Electione : Urbani cap. 5. de Jurejurando. Pii cap. 3. de peculio Clericorum : Felicis cap. 1. & 2. ac Stephani cap. 7. de Accusationibus : Lucii cap. 6. de Simonia.

Eam dignitatem illibatam servarunt usque ad sæculum decimum sextum, quo Centuriatores Magdeburgenses primi earum conditionem in litem vocarunt, & postea Catholici fere omnes hac ætate, si unum, alterumve excipias. Miror quod Joannes Laurentius Berti de Theologicis disciplinis lib. 20. cap. 18. proposit. 1. existimaverit Synodum Œcumenicam Cōstantiensem sess. 8. Decretales priscorum Pontificum ante Siricium Epistolas respexisse, cum Wiclefi propositionem 38. damnavit : *Decretales Epistolæ sunt Apocryphæ : seducunt à Christi fide & clerici sunt stulti, qui student eis.* Schel-

tratus ante Bertum pronuntiaverat :
Quasnam Decretales Epistolas intellexit Wiclefus , licet non exprimat Concilium Constantiense , verisimile tamen est intellexisse priscorum Pontificum, quas e contra tunc omnis Ecclesia recipiebat, ut authenticas.

Si tamen Wiclefi errores introspicimus, & Theologorum Constantiensium iudicium referamus, verisimilius est Constantiensium Patrum sententiam ferire aliud, quam Scheltratus, & Bertus ferire existimarunt. Wiclefus Romanæ Sedis auctoritatem, potestatemque audacter deprimebat, satanæ synagogam impie appellabat, & juxta Henricum de Knigton lib. 5. de eventibus Angliæ, assererat Papam non posse condere canones, seu constitutiones, & si quas condiderit, nullum teneri eas observare : ex quo errore propositionem illam protulerat Wiclefus, & merito est damnatus a Concilio. Unde ex appendice Concilii Constantiensis ex Mss. Germanicis Hermanni Wonder-Hart apud Labbæum hæc fuit Theologorum Constantiensium censura : *Conclusio 38. Decre-*

tales Epistolæ sunt Apocryphæ &c. habet tres partes : 1. contra determinationem Ecclesiæ de Constitutionibus... Hilarius Papa causa 25. quest. 1. cap. 4. Nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.... 2. hæretica est, cum profiteantur Christi fidem illesam, ut de Summa Trinitate, de celebratione Missarum, de Baptismo, & de aliis Sacramentis. 3. Est erronea, blasphemæ, & injuriosa insurgens contra Innocentium III. Gregoriũ IX. Bonifacium VIII. Clementem V. & Joannem XXII. præcipientes Universitatibus, Clericis, Doctoribus, & Scholaribus tam Tolosanae, quam Bononiensis, quatenus eorum Decretales aliqui ex suprascriptis legerent, & studerent. Ex quo Theologorum Constantiensium iudicio apparet quid à Concilio fuit damnatum : qui fuerit Wiclefi error : & quantum ab hujus errore distet Catholicorum Theologorum opinio, qui priscis iis Pontificibus Romanis Decretales abjudicant, suppositasque propugnant.

Hactenus de Epistolis Decretalibus

ante Siricium, quæ in Hispano Codice vero, & authentico octavi sæculi omituntur, & Isidoro Hispalensi male judicantur collectori. Nunc non est præmittendum, quod Burchardus, & Gratianus in suis collectionibus allegant circa Hispanos ad sæculum septimum, & in supradicto Hispaniensium Ecclesiarum Codice desideratur. Burchardus lib. 9. c. 29. & Gratianus causa 30. quæst. 1. cap. 1. Romani Pontificis Deusdedit Epistolæ fragmentum exhibet ad Gordianum Hispalensem Episcopum anno 616. ut separarentur viri ab uxoribus, qui aliquo casu natos proprios è sacro fonte susciperent. Eam tamen supposititiam esse multa ostendunt; nullus quippe Gordianus Episcopus sub Deusdedit Pontificatu Hispalensi in Ecclesia sedit. Deusdedit Apostolicam Sedem tenuit ab anno 614. usque ad diem 8. Novembris anno 617. quo ejus memoria ritu solemniter celebratur: & S. Isidorus Hispalensem rexit Ecclesiam ab anno Christi 600. usque ad 636. juxta S. Ildesum: Concilio Toletano IV. præfuit anno 633. In eadem Epistola allegantur Julii, Innocentii, &

Cælestini decreta, quibus conjuges, qui proprios filios ex baptismo suscipere, separandos edixerant, eorumque solum enuntiaverant conjugium. Ast nihil hujusmodi laudati Pontifices statuerant, nec circa medium octavi sæculi spiritua-lem cognationem fuisse matrimonii impedimentum ait Bonifacius I. Moguntinus Episcopus, qui cum Pethelmum, & alios anno Domini 734. Epistolis suis 11. 15. & 22. consuleret de matrimoniis com- matrum, quarum in baptismo suscipiun- tur filii, asserit id genus copulæ, *nec in antiquis canonibus, nec in Decretis Pon- tificum Patres, nec in calculo peccatorum Apostolos unquam enumerasse.* Tandem adversatur Epistola legi Christi conju- ges, quos Deus conjunxit, separare pro- hibentis, sive matrimonium quoad vin- culum dissolvere; siquidem uxoribus, quæ filios è sacro lavacro suscipere, permittit, ut expleto anno dotem re- recipiant, novasque nuptias possint con- trahere. Quid Romano Pontifice, quid Theologo viro indignius? Hanc ultimam Epistolæ partem referre puduit Gratia- num, puduitque Cardinalem Historicum Baronium ad annum 616.

Hæc de Hispaniensis Ecclesiæ canonum Codice usque ad sæculum octavum dicta sunt, nec posteriora sæcula progrediar: cum inter Saracenorum tumultus Hispanæ Ecclesiæ, aut extinctæ, aut oppressæ essent, facile earum Præsules, & Rectores Pseudo-Iudorum postea sequerentur, sicut & aliæ Occidentis provinciæ fuerant amplexatæ. Nunc ob oculos omnium vestrum pono antiquum Martini Bracarenis Codicem ex puriori, quam habui ad manus, editione, ut nostrarum gentium antiquam disciplinam sciatis, scitu quidem dignam, canonesque singulos adnotabo.

*Ecce Digestas
viri Lubem
nosim do tom.
4^{da} de Historias
Eclesiasticas do
meyno Anta.*



CAPITULA

EX ORIENTALIBUS SYNODIS

A²

S. MARTINO

EPISCOPO BRACARENSI COLLECTA,
ET IN CONCILIO LUCENSI PUBLICATA.

P R Æ F A T I O.

*Domino Beatissimo, atque Apostolicæ Se-
dis honore suscipiendo in Christo Fratri
Nitigesio Episcopo, vel universo Con-
cilio Lucensis Ecclesiæ Martinus
Episcopus.*

” S ANCTI Canones, qui in partibus
” Orientis ab antiquis Patribus con-
” stituti sunt, Græco prius sermo-
” ne conscripti sunt: postea autem suc-
” cedente tempore, in Latina lingua
” translati sunt. Et quia difficilium est,
” ut simplicius aliquid ex alia lingua
” transferatur in alteram, simulque &

*revisado o 2.^o
Tom. de Vid. e
yentib, e lolo
de Louroy de S.
Martino Bigno
de Dume, et de
Bigno de Bigno
publicada por or-
den de Ep. de D.
Fr. Castano Brava-
do Arch. de Douro
Arch. de Primer
em 1803. ano de
1803. seu tendo.*

„ illud accidit, ut in tantis temporibus
 „ scriptores, aut non intelligentes, aut
 „ dormitantes multa prætermittant, &
 „ propterea in ipsos canones aliqua apud
 „ simplices videantur obscura; ideo-
 „ que visum est, ut cum omni diligen-
 „ tia, & ea quæ per translatores obscu-
 „ rius dicta sunt, & ea, quæ per scri-
 „ ptores sunt immutata, simplicius, &
 „ emendatius restaurarem; hoc simul ob-
 „ servans, ut illa, quæ ad Episcopos,
 „ vel universum pertinent Clerum, una
 „ parte conscripta sint; similiter & quæ
 „ ad laicos pertinent simul sint adunata,
 „ ut de quo capitulo aliquis scire volue-
 „ rit, possit celerius invenire,,

CANONES.

I.

De Electione Episcopi.

Non liceat populo electionem fa-
 cere, qui ad Sacerdotium provo-
 cantur; sed iudicium sit Episcoporum,
 ut ipsi cum, qui ordinandus est, probent,
 si in sermone, & Fide, & in spirituali
 vita edoctus sit.

N O T A.

EX Canone 13. Concilii Laodicensi hunc canonem desumpsit Martinus : *Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.* Necessarium tamen semper fuit in Ecclesia ad Clericum ordinandum, ut bonum haberet testimonium ab omnibus : idque à nascente Ecclesia est observatum, ne ignoti, aut nimis noti mali, vel nullius nominis ad Ecclesiasticos Ordines accederent. Apostoli Act. 6. Diaconos electuri fidelibus præceperunt, ut *considerarent viros boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto,* qui ad Diaconatus munus ordinarentur. Concilium Carthaginense III. can. 22. edidit: *ut nullus ordinaretur Clericus nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.* Adsunt quamplurima hujus moris exempla. Cum populus Hipponensis Augustino proponeret Eraclium, ut sibi succederet, à populo acclamatum est: *Deo gratias, Christo laudes, dictum esse sexies decies, te patrem,*

te Episcopum, dictum esse octies : tum eodemmet S. Augustino populum adloquente, ab eoque petente, ut de proposita Eraclii electione sententiam suam significaret, à populo acclamatum esse: fiat, fiat, dictum esse vicies quinquies; dignum, & justum est, dignum vicies octocies; fiat, fiat, dictum quatercies. Testimonium igitur ferebat populus, non eligebat; totque acclamationes, earumque formula, & numerus notata erant à Notariis, & publicis monumentis inscripta: unde Mag. P. Augustinus in Actis ordinationis Eraclii Epistola 213. dixisse fertur: *A Notariis Ecclesie, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, & meus sermo, & vestre acclamationes in terram non cadunt, apertius, ut dicam, Ecclesiastica nunc gesta conficimus.*

Ex Martini canone hanc suffragandi populi rationem, sive acclamationem pro improbandis, sive approbandis Clericis, & Sacerdotibus ablatam, abrogatamve fuisse in Hispaniis facile mihi persuadeo. Et duo jam ad Clericorum ordinationes testimoniorum genera requiruntur: unum

privatum, quod non palam ante ordinationem exigi solet ab iis, in quorum potestate ordinandus fuerit, vel quibus ordinandorum vota palam denuntiantur, vel à quibus Episcopus proprius duxerit inquirendum. Ii Ecclesiæ bono, Clericalis Ordinis decori, animarum populi Christiani salutem, ordinandorumque felicitati debent prospicere, & ex animo, ac veritate petenti Episcopo declarare ordinandorum mores, antea actam vitam, conversationem, natalium conditionem, corporis, animique dotes, aut defectus. Alterum vero testimonii genus in totius Ecclesiæ conventu fit, quando Presbyterorum, & Diaconorum ordinationes jamjam celebrandæ sint; rogante scilicet Episcopo ordinante Clerum, vel populum ut ordinationi faveant, vel eidem intercedant. Providet itaque Ecclesia, ne mali, & infames ad Ecclesiasticos Ordines promoveantur, bonum idcirco ab omni plebe testimonium exigit, quo promovendos exornet.

Hinc etiam est ut Sacrorum Ordinum collationes publice fieri debeant, ut expresse Tridentina Synodus decre-

vit sess. 25. cap. 8. de Reformat. Ordina-
 tiones Sacrorum Ordinum statutis à jure
 temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia,
 vocatis, presentibusque ad id Ecclesie
 Canonicis, publice celebrentur; si autem
 in alio Diœcesis loco, presente Clero
 loci, dignior quantum fieri poterit, Ec-
 clesia semper adeatur. Usus tamen inva-
 luit in pluribus Diœcesibus, ut in Epis-
 copi domo, seu cappella Episcopali Or-
 dines etiam Sacri conferantur; locus et-
 nim publicus æstimatur.

II.

De Ordinando Episcopo.

E piscopum oportet maxime quidem
 ab omni Concilio constitui; sed si
 hoc, aut pro necessitate, aut pro longin-
 quitate itineris, difficile fuerit, ex om-
 nibus tres colligantur, & omnium præ-
 sentium, vel absentium subscriptiones te-
 neantur; & sic postea ordinatio fiat.
 Hujus autem rei potestas in omni pro-
 vincia ad Metropolitanum pertineat Epis-
 copum.

III.

*De Evacuanda Ordinatione,
quæ absente Metropolitano
fuerit facta.*

Non debet ordinari Episcopus absque Concilio, & presentia Metropolitanæ Episcopi. Adesse autem oportet omnes, qui sunt in provincia Sacerdotes, quos per suam Epistolam debet convocare. Etsi quidem omnes occurrerint, melius; si autem hoc difficile fuerit, plurimos oportet occurrere. Qui autem non venerint, presentiam sui per suas Epistolas faciant; & sic omnium facto consensu, ordinationem Episcopi fieri oportet. Si autem aliter præter quod à nobis terminatum est, fuerit factum: talem ordinationem nihil prævalere decernimus. Si autem secundum canones ordinatio Episcopi fuerit facta, & aliquis contra, sua malitia in aliquo contradixerit, plurimorum consensus obtineat.

N O T A.

AD Canonem 4. Concilii Nicæni, & 19. Concilii Antiocheni attendit Martinus. Nicænum Concilium decreverat : *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari : si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnino modis in id ipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitanæ Episcopo tribuatur.* Antiochenum ita : *Episcopus præter Synodum, & præsentiam Metropolitanæ nullatenus ordinetur.* Vetus hæc in omnibus Christianorum provinciis fuit regula, ut Episcopi à Metropolita suo, veluti à præcipuo consecratore, & à reliquis provinciæ Episcopis tamquam adiutoribus, & adstantibus in unum omnibus collectis, ordinarentur. Hujus moris assertores, ac vindices fuere Romani Pontifices Joan-

nes III. & Magnus Gregorius: ille in Epistola unica contra Chorepiscopos disputans tres saltem ad consecrationem Episcopos requirit, eosque *Metropolitani auctoritate* convocatos: iste lib. 2. Epist. 32. de ordinationibus loquens singulis sua jura servavit: Arelatensem Episcopum in Primatu confirmavit: *Singulis tamen Metropolitanis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato.* Sæculo tamen septimo jam vergente, Concilium Emeritense provinciæ Lusitanæ can. 4. statuit, quod *Si juxta canonicam sententiam per voluntatem Metropolitanam, atque informationis ejus Epistolam, per regiam missionem ab alio Metropolitano fuerint ordinati, tempore, quo ad Metropolitanum suum post suam venerint Ordinationem, tale placitum non differant facere.*

Quâdoque tamen aliqui Præsules extraordinaria Sedis Apostolicæ missione exornati, octavo præsertim sæculo, Archiepiscopos Episcoposque consecrarunt sine provinciæ Episcopis. Bonifacius Moguntinus Metropolitæ extraordinaria in Galliis missione à Zacharia Romano Pontifice,

teste Flodoardo Historiæ Remensis lib. 2. cap. 16. Grimonem Rothomagensem, Abelem Remensem, Harbertum Senonensem consecravit, & pro iis pallia à Zacharia petiit. Sæculo duodecimo S. Bernardus lib. de Cōsideratione cap. 4. ad Eugenium III. conqueritur murmur, & querimoniam Ecclesias fecisse, quod ægre ferrent ordinem hunc Metropolitanorum pro eligendis suffraganeis Episcopis antiquitus statutum turbari: *Truncari (inquit) se clamitant, ac demembrari: vel nulle, vel paucae admodum sunt, que plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus: bona ne species hæc?*

Neque simul, aut uno iectu hæc Archiepiscoporum auctoritas convulsa est, sed sensim depressa, atque imminuta, donec omnino concidit. Sæculo adhuc duodecimo Lucius III. Papa cap. *Si Archiepiscopus* de Tempore ordinationum sic statuit: *Si Archiepiscopus obierit, & alter fuerit ordinandus; omnes Episcopi ejusdem provincie ad Sedem*

LUSIT. ECCLES. CAN. II. & III. Si
dem Metropolitanam conveniant, ut ab
omnibus ordinetur. Reliqui vero com-
provinciales Episcopi (si necesse fuerit)
ceteris consentientibus, à tribus jussu
Archiepiscopi poterunt ordinari: sed me-
lius est si ipse cum omnibus eum, qui
dignus est, elegerit, & cuncti pariter
Pontificem consecraverint. Sæculo tamen
exeunte duodecimo, ineunteque decimo
tertio Episcoporum electiones cœperunt
transferri ad Capitula Cathedralia, tam-
quam Clerum totius Dioceseos repræ-
sentantia, ac unum cum suo Episcopo
corpus constituentia. Adeo ut Innocen-
tii III. tempore ad Canonicos Cathedra-
les spectarent, nec suffraganei Episcopi
ad Metropolitanam eligendum cum Capi-
tulo concurrerent: idque plane stabili-
tum fuisse colligitur ex Epistolis, ac
respondis Innocentii III. & sequentium
Pontificum, quæ Gregorii IX. Decreta-
libus inseruntur:

Permansit hæc potestas Episcopos
eligendi in Capitalis, & in Canonicis us-
que ad tempora Bonifacii VIII. & Cle-
mentis V. Bonifacius eos sibi reservavit
Episcopatus, qui in Curia vacarent, in

Extravagant. *Piæ sollicitudinis* de Præbendis, & Dignitatibus in communi. Nominavit ille ad Episcopatum Tolosanum Ludovicum virtute, & sanctimonia clarum; diplomate suo contestatus non alio se eas Ecclesias Petri Sedi reservare consilio, aut fructu, quam ut eas viris commendaret præstantissimis. Contulit Episcopatum Mimatensem Guillelmo Durando, qui in Romana Curia vacaverat, ut Tolosanus. Clemens V. in Extravaganti *Etsi in temporalium* de Præbendis, & Dignitatibus, præsertim in provincia Burdigalensi beneficia maiora, Episcopatus scilicet, & minora vacatura suæ dispositioni reservavit. Denique per alios sequentes Romanos Pontifices facta est hæc eligendi reservatio; salvo tamen Regum consensu, & suo jure patronatus, pro iis locis, in quibus iste receptus est, ut in Lusitania, Hispania, Gallia, Pollonia, Sabaudia, & in aliquibus Germaniæ Ecclesiis, ubi ex speciali privilegio in concordatis expresso Imperatores, Reges, & Principes Episcopos nominant, & præsentant ab ipso Summo Pontifice instituendos. In aliis tamen Ger-

manix Ecclesiis vetus canonicæ electionis consuetudo servatur, ut Canonico-
rum Cathedralium Collegium Episcopos
suos eligat, & electi à Romano Ponti-
fice confirmentur.

Quamvis veluti cõsuetudine ab Apo-
stolis derivata, vel, ut loquitur Cypria-
nus Epist. 68. *Traditione divina* præscri-
batur, canonumque auctoritate firme-
tur, ut plures Episcopi, aut omnes in
provincia existentes, aut saltem tres ad
Episcopi electi ordinationem conveniant,
ac intersint; id non requiritur, ut ordi-
natio sit valida, sed tantum ut sit legi-
tima, canonica, & juxta priscam con-
suetudinem, quæ jure fuit instituta ad
ritus solemnitatem, ad honorem Ponti-
ficatus, ad publicamque Sacerdotii exi-
stimationem, non ad potestatem confe-
rendi characterem Episcopalem: tenent
scientissimi Theologi Christianus Lupus
in Apend. ad Canonem 4. Nicænum,
Aurelius Piette quæst. 13. & Joannes
Laurentius Bertus de Theologicis disci-
plinis cap. 13. §. 7. ac in ista quæstione
traditiones, quæ pertinent ad discipli-
nam ab iis distinguunt, quæ inviolabi-

lem doctrinam proponunt, sicut in aliis compluribus observant omnes. Plurima quoque exempla eruditissimis iis viris favere non desinunt.

Anastasius Bibliothecarius, sive alius quisquis sit Auctor, in vitis Romanorum Pontificum refert Pelagium I. ad Petri Sedem fuisse evectum, & consecratum ab Episcopis duobus Perusino, & Ferentino, atque Andrea Ostiensi Archipresbytero, quod in tota Italia tertius Episcopus inveniri non potuit, qui consecraret, ob trium capitulorum condemnationem, ob quam Pelagius falso in suspicionem inciderat violatae Synodi Chalcedonensis. S. Gregorius Magnus in Epist. 64. lib. 10. ad S. Augustinum Anglorum Episcopum, qui illum consuluerat, an posset Episcopos ordinare sine aliorum Episcoporum praesentia, respondet: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc tu solus Episcopus inveniris ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Gallis Episcopi venient, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent. Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia*

Episcopos ordinare, ut ipsi sibi ipsis Episcopi longo intervallo minime disjungantur. Anno 1686. die 29. Decembris Innocentius XI. indulget Godefrido Duci Franciæ Orientalis, ut ab uno Episcopo eum assistentia duorum Abbatum consecraretur Episcopus, ut scripsit Fridericus Gavardi tom. 6. Ægidianæ Theologiæ.

Circa tempus ordinandi Episcopi id observandum. Prioribus Ecclesiæ sæculis solis diebus Dominicis Episcopos consecrari fuisse solitos non facile adducor; nam si veterem Ecclesiarum historiam evolvamus, id observatum est, ut statim atque electi essent, & populi acclamationibus postulati, ad consecrationem raperentur; nec eam in alium diem differri patiebantur, aut ipsius populi solitus ardor, atque instantia, aut eorum, qui electi erant repugnantia, vel capituli constituendi necessitas, ac seditionis periculum. Lege tamen postea præscriptus dies consecrandi Episcopum fuit Dominicus, ut à vespera Sabbati præcedentis, quod Dominico adscribebatur, olim consecratio inchoari potuerit. Ita

S. Leo Magnus in Epist. 79. ad Dioscorum Alexandrinum: *Pie, & laudabiliter morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris, ut his, qui consecrandi sunt, numquam benedictio nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui à vespera Sabbati initium constat adscribi.*

In usu deinceps fuit, ut non solum diebus Dominicis, verum etiam maioribus festivitibus, iis præsertim, quæ in honorem SS. Apostolorum celebrari solent, consecrarentur Episcopi. Vetus Ordo Romanus titulo *Quo die ordinetur Episcopus* dies tantum Dominicos, & Apostolorum natalitiis consecratos Episcopis consecrandis destinat. Festivus autem dicitur dies quicumque à populo solemniter celebretur. Joannes IV. fuit consecratus in die Natalis Domini. Victor II. in die Cœnæ Domini. Bonifacius VIII. in die Decollationis S. Joannis ex Ciaconio in vitis eorundem. Udalricus Augustanus Episcopus in die festo Sanctorum Innocentium apud Su-

rium 4. Julii. Plura numerare nec lubet, nec vacat. Causa exhibet Albinus Flaccus de officiis tit. Sabbat. *Episcopi consecratio, qui est Vicarius Apostolorum, imò & Christi fit in die Dominica, qui eadem die per donum Spiritus Sancti dignatus est illustrare corda Apostolorum.*

IV.

De Primatu Metropolitanani.

Per singulas provincias oportet Episcopum cognoscere primatum Metropolitanani Episcopi, & ipsum curam suscipere, nihil autem agere reliquos Episcopos præter eum, secundum quod antiquitus a Patribus nostris constitutum continetur in canone. Propter quod & Metropolitanus nihil præsumptive adsumat absque consilio ceterorum.

NOTA.

Desumptus est iste canon ex Concilio Antiocheno can. 9. *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem*

totius provincie gerere. Propter quod ad Metropolitim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Episcopos agere secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum que ad suam Diocesim pertinent, possessionesque subiectas... Amplius autem nihil agere tentent præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus siue ceterorum gerat Concilio Sacerdotum. Itaque Metropolitanarum auctoritatem in Episcopos suffraganeos, siue suæ provincie, jam pridem canones, & Romanorum Pontificum decreta adstruxerunt. Hanc auctoritatem clarius indicat iuramentum, quod in ordinatione sua Metropolitanæ suo præstare debebant Episcopi, & cuius forma in Pontificali conservatur sub titulo de Scrutinio. A nonnullis prætenditur Metropolitanas, eorumque super alios Episcopos prærogativas ab Apostolis incepisse; fundanturque in Epistolis Decretalibus Lucii Papæ, & Clementis ad Jacobum, quas refert Gratianus Dist. 80. In ipsis urbibus post Christi

adventum, Apostoli, & successores eorum, Patriarchas, vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia, & maiores causæ, post Apostolicam Sedem sunt referendæ. Verum suppositas eas Epistolas cum omnes eruditi iudicent, & spuris adscribant, dicam Nicæni Concilii canones id tantum evincere Metropolitam hanc Synodum præcessisse, & Ecclesiarum principalium Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ privilegia canone 6. Ex consuetudine, & moribus antiquis petiisse. Quapropter non æque expeditum; imo incertum est, unde Metropolitanarum institutio initium sumpserit.

Ex Martini canone Marchio Mondexarensis Dissert. 4. cap. 3. n. 24. notat Martini ætate Primatem, & Metropolitanam mutuo confundi, ac inferri, nullumque Primatem proprium fuisse in Hispaniis, qualis postea super ceteros Metropolitam, & provincias fuit introductus: additque n. 56. id temporis primatum proprium nullum potuisse exerceri, cum Hispaniarum provinciæ multis, variisque potestatibus subjacerent,

Romanorum scilicet, Suevorum, ac Gothorum, nullam fuisse civitatem omnium earum provinciarum caput civile, in quo prima judiciaria esset potestas, ubi secundum Anacleti Papæ decretum Primas ille consecraretur. Ast si Illustrissimus Scriptor de Primatu loquitur veram super alios Metropolis habente jurisdictionem, non renuo: si de Primatu, Antistite scilicet illo sedem illam moderante, quæ prima ab Evangelio promulgato in Hispaniis fundata est, assentiri non possum, cum Bracarensis Ecclesia clamet, & sua jura tueatur. Nec audiendus est Petrus de Marca de Primatu Lugudunensi n. 126. *Quare ut splendore Metropolitico, antiquitus clara fuit Bracara, & ceteris quatuor Hispaniarum Metropolitibus equalis, ita nulla ratione illis fuit potior, nec superioribus seculis, nec posterioribus; præsertim cum nullo Apostolicæ Sedis privilegio fulta reperitur.*

Licet aliæ Hispanæ Ecclesiæ Metropoles, Hispalis, aut Toletum aliquando à Summis Pontificibus supra Bracarensem Metropolim Primatus privile-

gio fruerentur, id illius antiquitatem, ac præminentiam non adimit. Tametsi Hierosolymorum Ecclesia ceteras omnes antiquitate præcesserit, fueritque Domini prædicatione, miraculis, morte, & resurrectione decorata, & præterea Spiritus Sancti descensu, primisque Apostolorum prædicationibus, Jacobi etiam Apostoli Sede, & Martyrio, multisque aliis nominibus inelyta, nihilo secius Metropoli Cæsareæ Palestinæ subiecta fuit; adeo ut ab Hierosolymitani Episcopi iudiciis ad Cæsarenses devoluerentur appellationes, ut testatur S. Hieronymus ad Pamachium, & lib. adversus errores Joannis Hierosolymitani, & Leo Magnus Epist. 62. ad Maximum Antiochenum. Nam etsi illa esset Apostolica Ecclesia, & ceterarum veluti Mater, ubi tamen Vespasianus, & Titus ejus filius Hierosolymam destruxit, & Metropoleos dignitatem Cæsaream transtulit, ipsi quoque Apostoli Ecclesiasticam Romanæ Reipublicæ accommodantes, fortasse totius Palestinæ Metropolim dixissent Cæsaream: quod etiam adnotavit Josephus Gibalinus tom. 2. Scientiæ Canonice

lib. 5. quæst. 2. consecr. 1. n. 8. Igitur non mirum, ut Gothis Regibus universas Hispanias subjugantibus, Toletique urbem regiam collocantibus, ad eorum postulatum Romani Pontifices eam Primatiali honore supra Bracaram cumularent, quamvis hæc illa esset antiquior.

Igitur ex prædicto Martini canone Episcopi Metropolitanam suam veluti provinciae caput, seniore, & primæ Sedis Episcopum reverebantur, qui secundum regulas sibi ab Ecclesia præscriptas eos quandoque vocaret, statutisque temporibus accedere tenerentur; vel solus, vel una cum ceteris provinciae Coepiscopis ipsos delinquentes, vel à canonum præscripto in suæ Diocesis regimine aberrantes corrigeret, & interdum puniret. Concilio Carthaginensi III. can. 7. legitur, & apud Gratianum 4. quæst. 5. can. 1. Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciae ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, die statuta, Primatis litteris evocatus minime occurreret. Episcopis vero semper liberum fuit Dioc-

ceses suas regere , & dirigere , neque Metropolitans fas erat in hoc suarum ovium regimine eos turbare ; nam ex eodem can. 9. Antiocheni Concilii : *Unumquemque Episcopum oportet habere suæ Diœcesis potestatem , & administrare pro uniuscujusque conventi religione , & totius regionis curam gerere , quæ suæ urbi subest.* Itaque Metropolita in suffraganeorum Diœcesibus nullam ordinariam , & Episcopalem habet auctoritatem , sed Archiepiscopalem , quatenus in eorum defectus inquirere , eosque corrigere , ac supplere possit , si à sacris canonibus deflectant.

A sæculo 13. Metropolitanarum auctoritas in suffraganeos minui cœpit. Cum circa sæculum 14. confirmatio , & consecratio Episcoporum ad Romanum Pontificem devolvi inciperet ; atque iste , exclusis Metropolitans , ordinarius Episcoporum elector , & consecrator fieret ; ipsi quoque soli ebedientiæ , & fidelitatis juramentum ii præstiterunt. Innocentius III. in cap. 2. 3. & 4. de Translatione Episcopi , Episcoporum translationem , cessionem , & depositionem , quæ à Me-

tropolitans in provinciæ Synodis fiebant, Apostolicæ Sedi reservavit, imo *non auctoritate humana, sed institutione divina* esse reservatas declaravit. Bonifacius VIII. causam hæresis contra Episcopos in cap. 16. de Hæreticis in 6. sibi etiam reservavit. Tridentina tandem Synodus sess. 13, cap. 8. de Reformat. decrevit: *Causæ Episcoporum cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur.* Et sess. 24. cap. 5. de Reformat. *Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis.*

Eadem Tridentina Synodus sess. 24. cap. 2. de Reformat. statuit: *ne Episcopi comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere invitati compellerentur.*

Quod excepta Synodi Provincialis causa, fuisse evictum tenet Eminentissimus Pallavicinus lib. 23. Historiæ Concilii Tridentini cap. 10. n. 1. Ad hæc inconcussum, firmumque est Metropolitans etiam hac ætate post Tridentinam Synodum esse suffraganeorum suorum superiores, eisdemque provinciæ Præsules esse subjectos, nisi se particulari jure, aut privilegio esse exemptos ostenderit. Hinc per legitimam appellationem nunc totius provinciæ causæ à suffraganeis, aut eorum ministris ad Metropolitam, tamquam ad immediatum superiorem deferuntur, ut ille tamquam superior eorum negligentiam suppleat. Et licet juxta Innocentium IV. cap. 1. de Censibus in 6. Metropolita posset per totam provinciam, vel ejus partem visitationis officium exercere, civitates, & Dioceses, suffraganeos suos, & eorum subditos, Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, Ecclesias, & alia religiosa, ac pia loca, Clericos, & populos libere visitando, & inter visitandum suffraganeos, & eorum subditos ad solvendam procuracionem com-

pellere : Tridentina tamen , Synodus
 sess. 24. cap. 3. de Reformat. hanc Me-
 tropolitarum auctoritatem non nihil mi-
 nuit , *Ut à Metropolitanis etiam post
 plene visitatam propriam Diocesim , non
 visitentur Cathedrales Ecclesie , neque
 Diocesim suorum comprovincialium , nisi
 causa cognita , & probata in Concilio
 provinciali.*

Hujusmodi actus , superioris scili-
 cet jurisdictionis in Episcopos nequit
 Metropolita exercere , antequam acce-
 perit pallium , quod præcipuum est Ar-
 chiepiscoporum insigne , & ornamentum ,
 de corpore B. Petri sumptum , in quo
 Pastoralis officii plenitudo cum Archie-
 piscopalis nominis appellatione ipsi à
 Papa confertur. Ex cap. *Quoniam* 1.
 Dist. 100. si Metropolita intra tres men-
 ses consecrationis , si antea non erat
 consecratus , vel confirmationis , si antea
 jam erat consecratus , ad Sedem Aposto-
 licam non mitteret , ad fidem suam ex-
 ponendam , palliumque suscipiendum ,
 commissi sibi carebat dignitate. Hodie ta-
 men ex Tridentina Synodo sess. 7. cap. 9.
 de Reformat. *Ad maiores Ecclesias pro-*
moti

noti munus consecrationis infratempus à jure statutum suscipiant; & prorogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur. Qui etiam ad petendum pallium consequenter dari censentur. Barbosa lib. 1. Juris Eccles. cap. 7. n. 115.

V.

De eo, qui per ambitionem de inferiori civitate ad maiorem transire vult.

Siquis in parte alicujus fuerit ambitiosior inventus, sive Episcopus, sive Presbyter, vel Diaconus, de inferiori civitate non transeat ad maiorem. Quod si quis contra hæc magni Concilii constituta importunus extiterit, omnimodis evacuetur hujusmodi factum, & sue iterum restauretur Ecclesiæ, cujus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus prius fuerit constitutus.

NOTA.

Sic statutum fuerat can. 15. Concilii Nicæni, quod *Magnum* appellat Martinus: *Propter multam perturbationem, & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transeat. Siquis autem post definitionem Sancti, & Magni Concilii tale quid agere tentaverit, & se huiusmodi negotio mancipaverit, hoc factum prorsus irritum dicatur, & restituatur Ecclesiæ, cuius fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.* Idem inhibuerunt Patres Concilii Antiocheni can. 21. Sardicensis can. 1. & Carthaginensis IV. can. 27. Tam justæ, quam necessariæ erant huiusmodi prohibitiones, & minæ, ubi animi levitas, ambitio, opumque cupiditas translationum erat arbitra, & architecta. Canonibus iis condendis occasionem forsan dedit Ariannorum Episcoporum inquieta cupiditas,

qui minores Ecclesias deferentes maiores ambiebant. Qua cupiditate Eusebius Nicomediensis ex Berytensi ad Nicomediensem Episcopatum non transiit? Quibus laudibus Constantinus Imperator non extulit Eusebium alium Cæsareensem, qui Antiochenam Sedem repudiavit, quo illum vanissimi adulatorum invitabant?

Erant tamen canonicæ, & licitæ translationes, ubi cordi erat sola Ecclesiæ utilitas, & gloria. Ejusmodi fuit translatio Eustathii Sebasteni Episcopi Antiochiam, Euphronii Coloniensis Episcopi ad Metropolim Nicopolitanam, Gregorii Nazianzeni à Sazinensi ad Constantinopolitanam Ecclesiam. Cælestinus Romanus Pontifex, referente Socrate lib. 7. cap. 39. & 40. Historiæ Ecclesiasticæ, ad Cyrillum Alexandrinum, ad Joannem Antiochenum, & ad Rufum Thessalonicensem scripsit posse ab una Ecclesia transferri Episcopos ab aliis Episcopis sola Ecclesiæ utilitatis causa, & Procli translationem è Cysicena Ecclesia ad Constantinopolitanam confirmavit. Hujusmodi translationes, quæ à Metropolita, & Provinciæ Episcopis in Synodo

ob alicujus Ecclesie bonum fiebant ex
can. 27. Concilii Carthaginensis IV. Apo-
stolicæ Sedi reservavit Innocentius III.
cap. *Cum illo* de Translatione Episcopi,
quo Antiochenum Patriarcham, qui con-
firmatum in Archiepiscopum quemdam
ad Sedem Episcopalem Tripolitanam
transulerat, ab Episcoporum confirma-
tione suspendit. Episcopus transiens ad
aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur
adulterium committere cap. *Sicut vir* 11.
& cap. *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1.

Nec sola ambitiosa Episcoporum de
una ad aliam Sedem translatio, & migra-
tio erat inhibita; verum & Presbytero-
rum, ac Diaconorum, qui uni Ecclesie
abscribebantur, ejusque titulo ordina-
bantur. Hinc Concilium Chalcedonense
canones edidit: quintum, in quo Cleri-
corum ab una civitate in aliam migra-
tiones prohibet; imo veteres circa id
jam stabilitos confirmat: & sextum, in
quo Presbyteros, Diaconos, vel quos-
vis ordinari vetat sine titulo, & bene-
ficio, quod erat Ecclesia civitatis, pagi,
Martyrium, id est, Oratorium, in quo
Martyrum reliquie colebantur, aut Mo-

nasterium, quibus addicebantur in perpetuum ad ministeria Sacrorum Ordinum obeunda. Hinc etiam Zacharias Romanus Pontifex respondens ad Pippinum Francorum Regem consulentem de Clericis, qui proprias Ecclesias relinquunt, servandum esse docet canonem 15. Apostolicum: *Siquis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam Ecclesiam pergat ad alienam, & omnino demigrans, præter Episcopi sui conscientiam, in aliena parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur.* Unde inferes quidem beneficiorum pluralitatem olim eo maxime nomine vetitam fuisse, quod nemo posset in duabus Ecclesiis residere, & deservire, sed uni tantum, cui ordinatione ipsa dedicabatur; nec interpositum, auditumque tunc erat discrimen beneficiis, quorum alia sociari plura possent, alia non possent, alia residere cogerent, alia non cogerent.

VI.

De non mutanda Parochia.

E piscopum à propria Parochia non liceat transire in aliam, neque sua sponte introire, neque invitatus, neque ab Episcopo coactus: sed permaneat in loco, in quo à Deo est ordinatus, & in ea, quam sortivit Ecclesiam, secundum antiquum canonum institutum.

VII.

De præsumptione alienæ Diœcesis.

S quis Episcopus non per scripta Metropolitanæ Episcopi, aut qui cum eo sunt, de alia provincia in aliam venerit; sed præsumptivè irruens ad ordinationem, & constitutionem Clericorum, qui ad illum non pertinent, importunus existat: vacua sint, & inania, que ab eo fuerint ordinata. Ipse autem dignus excommunicatione censeatur, & abominetur à Sancto Concilio.

NOTA.

H Ujusmodi canones decerpfit Martinus ex Canonibus 13. & 21. Concilii Antiocheni; de non mutanda Parochia ex cap. 21. de Præsumptione alienæ Diœcesis ex can. 13. Canone suo VI. exposuit Martinus quo vinculo tenerentur Episcopi, ut in sua sede residerent, nec alienam ingrederentur. Hanc residendi legem, seu necessitatem non tantum inspexit Antiochena Synodus, sed & Sardicensis, non ut eam sancirent, sed ut longe sanctissimam, ac antiquissimam proponerent. Irascebatur olim Cyprianus Episcopis iis, qui sacris functionibus se subducebant, & ab Ecclesia, & à plebe sua abesse consueverant; & Ambrosio erat persuasissimum teneri se quadam invariabili lege gregi suo assidere, cum in Epist. ad Theodosium Imperatorem scriberet, horrore Eugenii Tyranni Mediolanum aliquandiu reliquisse, citius tamen eò rediisse, postquam tempestas evanuit: *Festinaui reverti postquam illum, quem jure declinandum*

putaveram, Mediolano abiisse cognoveram. Illustris quidem, sed operosissima hæc servitus Episcopatum comitatur, Ecclesiæ suæ adhærere, & assidere. Synodus tamen Sardicensis can. 8. & vanas exclusit causationes, & justas absentia causas exposuit: posse Episcopos ad aulam regiam pergere ab Imperatore evocatos, aut si necessitas tuendi pauperes, viduas, & orphanos ire compelleret: *Si vobis ergo, Fratres charissimi, placet, decernite ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi forte hi, qui religiosi Imperatoris litteris, vel invitati, vel evocati fuerint. Sed quoniam sepe contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio, vel insulis damnantur, subveniendum est istis, & sine dubitatione preterea indulgentia. Hoc decernite, si vobis placet. Universi dixerunt: Placet, & constituatur.*

Tanta erat hæc Episcopis residendi in suis Ecclesiis lex, & necessitas; ut olim Romani Pontifices Episcopos eos, qui ad Cardinalatus apicem evehebantur, suæ Ecclesiæ vinculo solverent, ut Ro-

mæ commorari possent, Summoque Pontifici assisterent. Clemens VI. anno 1344. cum Episcopum Atrebatensem Cardinalitia dignitate exornaret, prioris Ecclesiæ vinculo illum absolvit. Joannes XXII. cum ad preces Gallorum Regis Philippi Cardinalium senatui adscripsisset anno 1331. Episcopum Altisiodorenses Talarandum, veniam fecit, ut bimestri tantum spatio redditus suæ Ecclesiæ retineret ad Romani itineris expensas. Non cohærebat olim Cardinalatus cum Episcopatu, exceptis iis Episcopalibus Ecclesiis prope Urbem, quæ Tituli Cardinalium ipsæmet sunt. Verum aucto numero Cardinalium, qui septuaginta jam quandoque numerantur (cum viginti admodum tantum essent olim, quando vigeat ea lex, quæ eos ab Episcopatu arcebat, & tam pauci numero cum essent, vix Romæ, & Papæ suffurari se poterant) possunt Episcopatus Cardinalibus conferri, & Cardinales ipsi suis Ecclesiis Episcopalibus adesse. Nam cum nunc satis magno numero sint, possunt alii Romæ superesse, & reliqui Episcopalibus sedibus per orbem, qui-

bus affixi fuerint, praesidere, & Concilii Tridentini decretis obsequi. Synodus enim Tridentina sess. 24. cap. 17. posse Episcopatus Cardinalibus conferri indicat, cum ibidem decernat ne plures Cathedralis Ecclesias quis retineat, quantumque sit dignitate, tametsi sit Cardinalis. Passim etiam videmus Episcopos ad Cardinalatum promotos retinere Episcopatum absque ulla dispensatione: quod etiam adnotavit Fagnanus in cap. *Bonae memoriae* de Postulat. Praelat. n. 33. & fatetur ille *consultius fore, ut aliunde suppeditentur S. R. E. Cardinalibus necessaria ad eorum dignitatem decenter sustinendam, & Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis praesententur Pastores, qui possint illis assidue residere sine detrimento Ecclesiae universalis, cum Cardinales Romani Pontificis in executione Sacerdotalis officii jure levitico coadjutores existant.*

Igitur Tridentina Synodus sess. 6. cap. 1. de Reformat. antiquos canones, qui temporum, atque hominum incuria pene in desuetudinem abierant, adversus non residentes Episcopos promul-

LUSIT. ECCLES. CAN. VI. & VII. 107
gatos innovavit? & ne quisquis Episcopus, sive Patriarcha, sive Primas, sive Metropolitā legitimo impedimento, seu justis, & rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diocesim morando non abesset sub pœna quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, vel loci pauperibus applicandorum per superiorem Ecclesiasticum. Et sess. 23. cap. 1. de Reformat. præter censuras Ecclesiasticas, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem & culpam mortalem eos residere compellit, decernitque executionem hanc nullo modo suspendi posse. Quando autem residentiæ dispensandum est, certa regula stabiliri nequit, cum ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis justam causam suadentibus id pendeat. Abstinet Synodus declarare, an divino jure tenerentur Episcopi residere; nam, referente Pallavicino lib. 7. Historiæ Concilii Tridentini cap. 6. n. 3. Vigerius Senogalliensis hortatus est Patres, ut, quo laxamenti iretur obviam, declararent, ex Jure Divino teneri Episcopos obli-

gatione persistendi in sua sede, quod post alios Caietanus docuerat: quibusdam licet hæc placeret opinio, à ple-ritque severior est existimata, & Campegius Feltriensis Antistes causas pluri- mas protulit, quæ Præsulum absentiam excusarent. Quibus auditis sententiis, primus Legatorum dixit illud, quod dictatum fuerat de declarando mansionem Episcoporum in sua Ecclesia esse Juris divini, nihil in rem conferre: solum id agi, quo Pontificia dispensandi potestas coarctaretur. Pergit idem Pallavicinus lib. 8. cap. 18. n. 9. & ait esse, qui gra- viores pœnas poscerent in absentes Epif- copos, quam per antiquos canones irro- gabantur, & qui cuperent ut disertis verbis declararetur, ne à Regibus qui- dem Episcopos solvi posse obligatione residendi, quod in suis consiliis ipsos detinerent: verum id non fuit probatum, ne Principes læderentur.

*Eadem omnino, quoad culpam, a-
missionem fructuum, & pœnas, de cura-
tis inferioribus, & aliis quibuscumque,
qui beneficium aliquod Ecclesiasticum
curam animarum habens, obtinent San-*

*Ita Synodus declaravit ; (sess. 23. cap. I.)
ita ut quandocumque eos , causa prius
per Episcopum cognita , & probata , ab-
esse contigerit , Vicarium idoneum , ab
ipso Ordinario approbandum , cum debita
mercedis assignatione relinquunt . Disce-
dendi tamen licentiam in scriptis , gra-
tisque concedendam ultra bimestre tem-
pus , nisi ex gravi causa non obtineant .*

*Quoniam autem (statuit eadem Sy-
nodus allegata) qui aliquantisper tan-
tum absunt , ex veterum canonum senten-
tia non videntur abesse , quia statim re-
versuri sunt , singulis annis à sua Dioe-
cesi abesse possunt Episcopi , dummodo
absentiæ spatium sive continuum , sive
interrumptum extra causas approbatas
nullo pacto duos , atit summum tres
menses excedat , & fiat absque ullo gre-
gis detrimento . Eisdem quoque admo-
net , ne per illius temporis spatium , Do-
minici Adventus , Quadragesimæ , Na-
tivitatis , Resurrectionis Domini , Pen-
tecostes , & Corporis Christi diebus ,
quibus refici maxime , & in Domino
gaudere Pastoris presentia oves debent ,
ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo mo-*

*do absint, nisi Episcopalia munia in sua
Diœcesi eos aliò vocent.*

De una provincia in aliam non peragrabant Episcopi, nisi juxta canonem 11. Concilii Antiocheni, sui Metropolitanæ, aut Collegarum Episcoporum litteras secum ferrent, quas *Formatas* appellabant, & communionis signum erant, qua invicem Præsules fruebantur. In iis litteris tantum momenti erat, tamque scrupulose servabantur, ut nullus sine illis per alienas provincias iter ageret: sed processu temporis inutiles magna ex parte evaserunt, saltem per eas provincias, quarum tanta non erat distantia, quin fere sese agnoscerent, maxime Episcopi, quos spectabiles facit, nec ignorari sinit sua dignitas. Quidquid vero extra Episcopatum suorum fines, & in aliena provincia iter peragebant, aut ordinando, judicando, sive quomodolibet statuendo, inutile, & vacuum erat, & à suorum Collegarum Episcoporum communione abjiciebantur. Quamvis tamen Sacris Canonibus sit generaliter interdictum, ne quis Episcopus jurisdictionem in Diœcesi exerceat aliena: Cle-

mens V. in Concilio Viennensi, & cap. *Quamvis* de Foro competenti in Clement. concessit Episcopis, qui à suis sedibus impiorum protervia expulsi, non audent propter metum persequentium in suis civitatibus, vel Dicecesibus, aut earum parte residere, nec jurisdictionem ad se spectantem per se, vel per alium inibi exercere; ut in Dicecesibus alienis possint contra suos expulsos, aut eorum fautores libere procedere, prout justitia sua debet.

VIII.

*De non constituendo Episcopo
successore.*

Episcopum non liceat ante finem vite alium in loco suo constituere successorem. Siquis autem hoc usurpare tentaverit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum Concilio, & judicatu Episcoporum, qui post exitum prædecessoris potestatem habent, quem dignum elegerint.

N O T A.

ITa statutum erat can. 23. Concilii Antiocheni, quem ob oculos Martinus habuit. Ast non damnatur Episcoporum Sanctorum libertas, qui ostenderant, quos optarent, quos optimos judicarent sibi fore successores: non eligi fecerant, non ordinaverant, Provinciali Concilio permiserant, ut factam à se designationem ratam faceret. Alexander Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus ante obitum suum petiit, ut sibi successor daretur Athanasius. Athanasius ipse, adveniente morte, Sanctissimum Presbyterum Petrum designavit, qui sibi, in Marci sedem succederet; consensit Clerus, Magistratus, Plebs, unanimi Petri electioni, si credimus Theodoreto lib. 4. Hist. cap. 18. Augustinus ipse in Epist. 213. alias 110. sciens post obitum Episcoporum, per ambitiosos, aut contentiosos solere Ecclesias perturbari, ut suæ prospiceret civitati, coram universo populo Hipponensi Presbyterum Eraclium sibi voluit successorem; quamobrem à populo ipso multoties

toties acclamatum est: *Deo gratias, Christo laudes.* Sed ne duo essent ejusdem civitatis Episcopi contra Nicænum Concilium, populo dixit: *Erit Presbyter, ut est, quando Deus voluerit futurus Episcopus.... Obsecro vos, & obstringo per Christum, ut huic juveni, hoc est Eraclio Presbytero, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorum mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.*

Ex iis exemplis inferendum Sanctissimis Præsulibus id animo infixum esse nihil ea re canonicis regulis derogari: nec canonum alia mens fuerat, quam Episcoporum quorundam retundi audaciam, & ambitionem, qui cognatis suis hæreditarios transmittere Episcopatus intendebant. Augustinus vero, alique Sanctissimi Præsules id unum intenderant, ut turbulenta post suum obitum factiones præverterent, pacemque suis Ecclesiis certam adferrent. Augustinus Eraclium sibi successorem deligens nihil contra canones se moliri existimavit, nec dispensatione opus fore. Valerius Hipponensis Episcopus præter sui Metropo-

litæ consensum, teste Possidio in Augustini vita, Primatis quoque Carthaginensis auctoritatem adhibuit, ut collegam, & successorem sibi adscisceret Augustinum. Et Hispani Episcopi ad Hilarum Romanum Pontificem confugerunt, ut ratum haberet, quod Nundinarius Barcinonensis Episcopus ante mortem significaret, ut successor sibi daretur Irenæus alterius urbis Episcopus, quem & hæredem sibi ille adoptaverat: quam designationem non tantum Barcinonensis Clerus, & populus probaverat, & susceperat, sed & Ascanius Metropolitanus suæ provinciæ Episcopis consenserat. Verum Hilarus in Concilio Romano ex Epistola ad Ascanium decrevit, ut priorem sedem Irenæus suam repeteret; novus Barcinone eligeretur Antistes, & ne Provinciæ Episcopi quasi hæreditarios Episcopatus ante obitum, ad quos vellent, transmitterent.

IX.

De irruptione vacantis Ecclesie.

Siquis Episcopus vacans in Ecclesiam non habentem Episcopum, subripiens populos sine Concilio integri ordinis, irruerit; etiam si populus, quem seduxit, desideret illum, alienum eum ab Ecclesia esse oportet. Integrum autem, & perfectum Concilium dicimus illud, in quo Metropolitanus Episcopus fuerit.

NOTA.

Idem est quod statuitur can. 16. Antiocheni Concilii de Episcopis vacantibus: *Siquis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem profiliat, sedemque pervadat absque integro, perfectoque Concilio, hic abjiciatur necesse est, et si cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum vero Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes. Qui hoc modo Ecclesiam*

occupat, vere est intrusus Antistes, & invasor: præter superioris auctoritatem, sine aliquo titulo, & colore beneficium occupat. Subditis iis, quibus per intrusionem factus est Præsul, non potest conferre Sacramenta, ac si conferat, executionem non conferre; non quia est suspensus, sed quia non suis subditis executionem conferre non potest. Debet statim cedere Episcopatu, nec opus est illi superioris auctoritate, ut cedat, cum non agatur de dissolutione alicujus vinculi, sed tantum injustæ possessioni renuntiet. Ita Fagnanus in cap. *Nisi cum pridem* 10. de Renunt. à n. 25.

Hinc nullus Episcopus, nec maiores alii Prælati sine litteris eorum promotionem, confirmationem, & consecrationem a Romano Pontifice continentibus ad Ecclesias commissas accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere præsumant sub gravibus poenis in Extravaganti Bonifacii VIII. *Injunctæ* de Elect. & Constitutione Julii III. 34. in Bullario veteri, quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater* edita die 27. Maii 1553. Capitula quoque, &

Ecclesiarum conventus, nec non alii quicumque ipsos absque huiusmodi literis recipientes, vel obediens, tandiu sunt à beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc Sedis Apostolicæ gratiam mereantur obtinere: ex eadem Bonifacii VIII. Extravaganti.

X.

De Episcopo per necessitatem vagante.

Siquis Episcopus ordinatus pro contumptione populi, aut pro aliqua alia ratione, & non pro sua culpa, in parochia, quæ ei fuerit data, non ierit, hunc oportet honorem Sacerdotum tantummodo contingere; & de rebus Ecclesiæ, in quâ convenit, nihil sibi præsumat. Sustineat autem, quid de eo Sanctum Concilium iudicare voluerit.

NOTA.

Expressum id est in can. 18. Concilii Antiocheni. Cum plures Præsules propter hæresim Arianam abjicerentur, Antiocheni Patres statuerunt: *Siquis*

Episcopus ordinatus ad Parochiam minime, cui electus est, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetrata, hic & honoris sit & ministerii particeps, dummodo nil molestus Ecclesiae rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet, quidquid Synodus perfecta provinciae, quod visum fuerit, judicando decreverit. Sardicense quoque Concilium jussit, ut honorificentissime exciperentur Episcopi, quos persecutionis acerbitas suis gregibus expelleret. Quibus honoribus ab antiquis Patribus excepti non sunt Sanctissimi Praesules à suis sedibus propter haeresim, aut alia de causa exules, Athanasius, Chrysostomus, Mauron Hispanus, aliique, quos referre infinitus pene essem? Huc quodammodo referendi sunt Episcopi Titulares, quibus commendantur Ecclesiae à barbaris possessae, & quibus permissum non est, aut urbem, aut regionem illam incolere, quam infidelium tyrannis oppressit. Ii à suis sedibus abacti à Coepiscopis suis excipiuntur, in eo-

rum Diœcesibus commorantur, jurisdictionem autem ne attingunt quidem; Pontificalia exercent de expressa tantum eorum licentia, intra quorum fines existunt. Cum Isauriæ Episcopus in Corcyram confugisset una cum Ecclesiæ suæ Clero, ab Imperatore Mauritio rescriptum impetravit, ut Corcyrense castrum sibi vindicaret, ibique sedem collocaret. Alcyon Episcopus Corcyrensis ea de re litem movit, & iudicio vicit apud Andream Nicopoleos Metropolitam, cui fuerat causa delegata. Gregorius Magnus lib. 12. Metropolitanus illius sententiam firmavit, & Isauriensis intra Corcyrensis Episcopi fines honore tantum, sine jurisdictione commoratus est.

Quodammodo dixi ad hunc canonem Titulares Episcopos esse referendos: quodammodo quidem; non enim parum canon iste abludit, ubi quæstio erat Episcopi, cui vel populi alienatio animorum, vel quælibet alia causa intercessit, ne in urbem, Ecclesiamque suam reciperetur, sed ea spe erat ordinatus, & certa quidem, ut in Ecclesiæ suæ possessionem mitteretur. Titulares vero Epif-

copi omni destituuntur spe, ut in suas Ecclesias ab infidelibus diu attritas accedant: nec Martini tempore isti creabantur, sed prima eorum origo quamvis fluxerit ab iis Episcopis, qui cum Ecclesias, civitatesque suas aliquandiu rexissent, à barbaris ejecti erant, nec deinceps permitti urbem, aut Diœcesim suam adire; nondum ea ætate erant in usu eorum creationes. Unde, ait Fagnanus in cap. Episcopalia I. de Privilegiis, & excessib. Privilegiat. *Res ab optimis orta primordiis eo dilapsa est, ut jam non qui expulsi sunt, dentur Episcopi Ecclesiis vacantibus, sed creentur denuo Episcopi illarum Ecclesiarum, tum ob alias causas, tum ut suffragentur aliis Episcopis: ideoque cum Summus Pontifex hodie creat huiusmodi Episcopos utitur iis verbis: & suffragentur talibus, donec &c.*



XI.

De Contemptore Episcopo.

Siquis Episcopus ab Episcopis ordinatus noluerit agere Sacerdotium, neque consenserit in sibi commissa Ecclesia ambulare, statim talem excommunicari oportet. Quod si coactus contempserit, Sanctum Concilium, quod placeat, de eodem terminet.

XII.

De Seditioso Episcopo.

Siquis Episcopus ordinatus fuerit, & non vult ipsam Parochiam suscipere, in qua nominatus est, sed alibi vult ordinari, & vim facit, & seditiones concitat contra eos, qui illum ordinauerunt, ab honore oportet removeri. Si autem in pristino honore Presbyterii vult stare, non vitetur, ut gradum, quem habuit, retineat: quod si reluctatus sit etiam de honore Presbyterii, ab honore deponatur.

N O T A.

Canonem XI. de Contemptore Episcopo desumpsit Martinus ex Antiocheno 17. „ Siquis Episcopus per manus „ impositionem Episcopatum acceperit „ & præesse populo constitutus ministe- „ rium subire neglexerit, nec adquie- „ rit ire ad Ecclesiam sibi commissam, „ hunc oportet communionem privari do- „ nec susceperit coactus officium, aut „ certe de eo aliquid integra decreverit „ ejusdem provinciæ Synodus Sacerdo- „ tum,,. Canonem vero 12. de seditioso Episcopo desumpsit ille ex Ancyrano 17. „ Siqui Episcopi ordinati sunt, nec rece- „ pti ab illa Parochia, in qua fuerant de- „ nominati, voluerintque alias occupare „ Parochias, & vim Præsulibus earum „ inferre, seditiones adversus eos exci- „ tando, hos abjici placuit. Quod si vo- „ luerint in Presbyterii ordine, ubi prius „ fuerant, ut Presbyteri residere, non „ abjiciantur propria dignitate. Si au- „ tem seditiones commovent ibidem, „ constitutis Episcopis, Presbyterii quo-

que honor talibus auferatur, fiantque
damnatione notabiles,,. Id quoque statutum fuit can. 11. Concilii Carthaginensis II.

Ad XI. ordinabantur quandoque inviti, & repugnantes Episcopi, mollebatur sæpe eorum voluntas, & assentiebantur tandem sarcinæ per vim ingestæ. Erant & qui inflexo animo persistenter, & indomita quadam animi dejectione, & humilitate sisterent, ne sibi obedientiæ lex imponeretur. De quibus ait Augustinus in Epist. ad Donatum 173. alias 204. *Multi ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiunturque, quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Patiebantur tandem communione ceterorum privari donec in provinciæ Synodo solverentur. Eusthathius Pamphiliæ Metropolitæ, qui senio confectus sese Episcopatu, ad quem fuerat electus, propter exiguum rerum gerendarum usum abdicaverat, nec ad Ecclesiam sibi commissam ire adquireverat, collegarum communione privatus est, & à Patribus Concilii

Ephesini actione 7. nomini, honori, & communioni Episcopali restitutus est: qua de re ex Patrum sententia scriptum est ad Pamphiliæ Synodum: *Sed quia adversus ejus animum à rebus gerendis alienum non admodum decertare oportuit senem; justum, rectumque definimus, ut nomen retineat Episcopi, & honorem, & communionem.* Ex hoc canone etiam notum fit quomodo cogebantur Episcopi residere, si in commissis Ecclesiis nollent ambulare.

Ad XII. seditiosos Clericos, & Episcopos semper habuit abominationi Ecclesia. Concilium Agathense can. 69. seditiosarios statuit numquam ordinandos Clericos: Apostoli Pauli dictum in Epistola ad Timotheum cap. 3. ob oculos semper Patres habuerunt, oportere Episcopum non esse litigiosum. Tanta erat adversus seditiosos Præsules ex can. 17. Ancyrano Patrum abominatio, ut eos ab Episcopali gradu ad Presbyteros, quibus antea erant adscripti, redigerent: & si in eadem Ecclesia suis Episcopis seditiones commoverent, etiam Presbyteris concessus honor eis auferretur.

Sanxerat & Nicæna Synodus, ut Episcopi, qui ex parte Novati ad Ecclesiam Catholicam se conferrent, ordine, & gradu, ac potestate pristina fruerentur; si modo nullus esset ejusdem civitatis Episcopus; si autem esset, tunc sederent inter Presbyteros illius Ecclesiæ: in potestate autem esset Catholici Episcopi, ut iis honores, & insignia Episcopatus utenda concederet. Concilii Chalcedonensis Patres Ancyrano canoni derogare videntur, dum sacrilegium esse protulerunt actione 4. Episcopum in Presbyteri gradum redigere. Cum Eustathius Berytensis Episcopus in ordinem Presbyterorum redegisset eos, quos gradu Episcopatus moverat, à Photio Tyri Metropolita ante ordinatos Episcopos, *Apostolicæ Sedis legati dixerunt Episcopum in gradum Presbyteri redigere sacrilegium est: si vero & causa justa illos ab Episcopatus actu amovit, nec Presbyteri locum retinere debent.* Quorum sententiæ ceteri adstantes Præsules subscripserunt. Sacrilegium quidem est, & recte à Chalcedonensi confesso decretum, in Presbyteri gradum redigere Episcopos

quos sua sede dejecerant crimina: non enim ea est Presbyteratus sanctitas, ut hoc ordine censerentur digni, qui indigni censebantur Episcopali. Sacrilegum est Episcopum criminis causa deponi, & Presbyteratus functiones eidem permitti, & concedi, quæ à criminosis peragi, aut delibari numquam debent. Hic erat Chalcedonensium Episcoporum sensus actione 4.

XIII.

De dissensione iudicii.

Siquis Episcopus in aliquibus iudicatur, & viderit ipsos Episcopos, qui in provincia sunt, inter se iudicio discrepare, ut alii videantur eum, qui iudicatur, justificare, alii condemnare: pro definitione hujus dissensionis hoc placuit Sancto Concilio, ut de vicina provincia alter Metropolitanus convocetur Episcopus, ut per eum confirmetur, quod secundum rectum placuerit canonem.

NOTA.

DEsumptus est iste canon ex can. 14. Concilii Antiocheni, in quo idem fuit statutum. Male in vetustis Gratiani exemplaribus decretum istud Laodicensi Concilio adscribitur. Si tamen Episcopus accusatus ab omnibus, qui erant intra provinciam, Episcopis acciperet unam, consonamque sententiam, ab aliis ulterius non judicabatur juxta can. 15. ejusdem Concilii Antiocheni, sed circa eum manebat rata, firmaque sententia, quæ ab omnibus proferebatur. Concilium tamen Sardicense Antiocheno sex annos posterius can. 4. permisit, ut si Episcopus ab Episcopis provinciæ damnatus peteret, ut judicium suum renovaretur, tunc vel ab Episcopis, qui causam examinaverant, vel etiam ab aliis, qui essent in provincia proxima, Romano Episcopo scriberetur, qui si judicaret renovandum esse judicium, renovaretur, & daret judices; si vero probaret causam esse, ut non refricarentur acta, Romani Pontificis decreto standum

esset. Bonifacius I. anno 418. ad Pontificatum promotus Epist. 2. de Maximo Valentinae civitatis Episcopo variis criminibus accusato loquens agnoscit ad provinciae Episcopos spectasse, ut illum judicarent. Eos adloquens ait: *Decrevi vestrum debere esse intra provinciam iudicium, & congregari Synodum.* Utcumque sese res habuerit, certum est tantam esse Episcoporum dignitatem, ut decuerit à Concilio non minori, quam duodecim Episcoporum numero juxta can. 10. Concilii Carthaginensis II. judicari: quo enim maior est judicandi dignitas, eo à pluribus ejusdem ordinis iudicibus judicandus est. Ita loquebatur Felix Episcopus in Concilio Carthaginensi: *Suggero secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & nimia necessitas ei fuerit non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim audiat Episcopis.*

XIV.

De Præsumptione Episcopi in rebus Ecclesiæ.

Siquis Episcopus nulla Ecclesiastica rationis necessitate cōpulsus, inscio Clero, aut ubi forte non est Presbyter, de rebus Ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere: res ipsas Ecclesiæ propriæ restituere cogatur, & in iudicio Episcoporum dejiciatur auditus, & tamquam furti, aut latrocinii reus à suo privetur honore.

XV.

De rebus Ecclesiasticis gubernandis.

Que sunt Ecclesiæ, conservari cum omni diligentia, & bona conscientia, & fide Dei, qui omnia videt, & iudicat: gubernari ergo oportet cum iudicio, & potestate Episcopi: cui etiam omnis populus, & congregatio commissa

130 VETUS CANONUM CODEX
est animarum. Manifesta autem debent
esse, que ad Ecclesiam pertinent, in cons-
cientia eorum, qui circa Episcopos sunt,
Presbyteros, & Diaconos, ut hi omnes
sciant, que sunt Ecclesie propria, ut si
Episcopo contigerit transitus, nihil eos
latere possit ex his, que ad Ecclesiam
pertinent, ut nullo modo possint minui, &
perire. Neque res proprie Episcopi de-
bent importunitatem pro rebus Ecclesie
pati. Dignum revera, & justum est
apud Deum, & homines, ut ea, que
Episcopi propria sunt, cui voluerit, de-
relinquat; & neque Ecclesiam perpeti
damnum, neque Episcopum pro rebus Ec-
clesie condemnari, aut post ejus obitum
in causas, que ad eum non pertinent,
aut maledictum incidere.

XVI.

De Ecclesie rebus dispensandis.

E piscopus habeat potestatem in re-
bus Ecclesie, ut dispenset necessita-
tem habentibus, cum omni reverentia,
& timore Dei; participare etiam eum

oportet, quæ necessaria sunt; si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquid, ut necessitatem nullo modo patiantur, secundum Sanctum Apostolum dicentem: victu, & tegumento, his contenti sumus. Si autem res Ecclesiasticas Episcopi in suas voluntates usurpare voluerint, & iura Ecclesiæ, vel fructus agrorum, non cum Presbyterorum, vel Diaconorum consilio intaminaverint, aut fratribus, vel filiis, vel quibuscumque propinquis suis dederint potestatem, ut per eos latenter res lædantur Ecclesiæ; hos oportet obnoxios esse Concilio. Similiter id, si Episcopus, vel qui cum eo sunt Presbyteri, aut Diaconi accusentur, ut quæ ex reditu, vel ex quolibet actu Ecclesiæ veniant, in suo sinu colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiuntur; hos corripere oportet, secundum quod ordinatum fuerit à Sancto Concilio.

XVII.

*De his, qui ex vasis ministerii
Ecclesiæ aliquid vendiderint.*

Siquis Presbyter, aut Diaconus inventus fuerit aliquid de vasis ministerii Ecclesiæ venundasse; quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione Ecclesiastica non habere: in iudicio tamen Episcopi dimittendum esse, sive dignus sit, sive indignus, in suo recipi gradu; quia simul totiens pro hoc ipso, quod de Sacramento altaris intaminaverint, id cum Episcopi potestate dimissum est.

NOTA.

HUjusmodi Canones collegit Martinus ex canonibus 32. Concilii Carthaginensis IV. & 4. Carthaginensis V. ex 24. & 25. Concilii Antiocheni, & ex 15. Concilii Ancyрани. Ecclesiæ res omnes tunc in communi possidebantur, summa tamen earum potestas erat penes Episcopum, qui in partem suæ sollicitudinis vocabat Presbyteros, Diaconosque

suæ Ecclesiæ, qui scirent, & non ignorarent, quæ Ecclesiæ essent propria: & ubi Episcopus ex hac mortali vita decederet, manifesta essent, quæ ad Ecclesiam pertinerent, & Episcopi rebus propriis ne permiscerentur, quod iurgiorum, litiumque semen postea foret. Summa igitur hæc Episcopi in res Ecclesiæ potestas temporalis ita coerceretur, ut è consilio sui Cleri, & ad Concilii Provincialis examen posset revocari. Ast Concilium Chacedonense can. 26. cavit, ut in omnibus Ecclesiis Œconomi essent de proprio Clero, qui secundum proprii Episcopi sententiam earum res dispenserent. Ita facillime erat Episcopo in suum Œconomum omni cura vigilare, & cogere, ut rationes redderet, & non ita facile, ut Presbyteri, & Diaconi Episcopum adducerent ad exhibendas sibi administrationis suæ rationes. Ante Chalcedonense in aliquibus Ecclesiis jam erant Œconomi, qui Episcopi nutu rem totam administrarent juxta canones 7. & 8. Concilii Gangrensis: & S. Joannes Chrysostomus Constantinopolitanæ Ecclesiæ regimen suscipiens, Œconomi dif-

pensatoris Ecclesiastici scripta relegit, inutilesque Ecclesiæ sumptus deprehendens, amputari hos protinus iussit: accessit & ad solemnes Episcopi sui Decessoris sumptus inspiciendos, inveniendisque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcepit. Et cum superessent pecuniæ, nova quoque infirmorum receptacula construxit. Sic fertur in ejus vita à Palladio scripta.

Quamquam Episcopi in Episcoporum judicio auditi dejicerentur, si nulla necessitate compulsi, inscioque Clero, de Ecclesiæ rebus quidquam venderent (quod sacrilegium erat) necessitas tamen, & causa à veteribus canonibus ordinata eos excusabat, imo eisdem tunc licebat alienare, videlicet pro redemptione captivorum. Ita octava Synodus Œcumenica Cōstantinopolitana anno 869. & 870. cap. 15. „ Apostolicos & pater-
„ nos canones renovans hæc Sancta, &
„ Universalis Synodus definiit neminem
„ prorsus Episcopum vendere, vel ut-
„ cumque alienare cimelia, & vasa sa-
„ crata, excepta causa olim ab antiquis

„ canonibus ordinata, videlicet pro re-
 „ demptione captivorum: sed nec tra-
 „ dere salaria Ecclesiarum in emphyteu-
 „ tica pacta, nec alias rusticas possessio-
 „ nes venundare, ac per hoc Ecclesiasti-
 „ cos redditus lædere, quos ad propriam
 „ utilitatem, & ob escam pauperum, &
 „ peregrinorum sustentationem esse de-
 „ cernimus,,. Dicebat etiam Ambrosius
 lib. 2. de Officiis cap. 28. „Aurum Eccle-
 „ sia habet, non ut servet, sed ut ero-
 „ get, & subveniat in necessitatibus..
 „ Aurum Sacramenta non quærunt, ne-
 „ que auro placent, quæ auro non emun-
 „ tur. Ornatus Sacramentorum, redem-
 „ ptio captivorum est: & vere illa sunt
 „ vasa pretiosa, quæ redimunt animas à
 „ morte. Ille vero thesaurus est Domini,
 „ qui operatur, quod Sanguis ejus ope-
 „ ratus est,,.

Ex suprascripto canone 15. de Eccle-
 siæ rebus gubernandis constat Episcopos
 res proprias etiam possedisse. quæ Pres-
 byteris, & Diaconis perspectæ essent;
 eisque integrum esse de suis statuere,
 in proximos suos, & domesticos legato,
 aut hæreditate relinquere, Ecclesiæ re-

bus intactis, quas in cognatos, aliosque transfundere nefas erat. Episcopi tamen plurimi perfectionis cupidiores patrimonio valedicebant, & ex Ecclesie opibus, & redditibus tantum decerpebant, quantum ad cibum necesse erat, & ad vestitum. Paulinus in S. Ambrosii vita refert illum ad Episcopatum primo esse electum, & ne degener tam sancto ministerio accederet, prædia, quæ habebat, reservato usufructu germanæ suæ, donavit Ecclesie: nihil sibi, quod inde suum diceret, dereliquit, ut nudus, atque expeditus Christi miles Dominum suum sequeretur. Sed licet ad illud Evangelicæ perfectionis culmen ascenderet Ambrosius lib. de Officiis 1. cap. 25. iis favere visus est, qui retenta patrimonii parte, ne oneri sint Ecclesie, graviter incumbunt excolendæ spiritali sementi, ex quâ nihil unquam temporalis lucri consequuturi sunt: *Sed et si quis Ecclesiam nolens gravare in Sacerdotio aliquo constitutus, aut ministerio, non totum quod habet, conferat, sed operetur cum honestate, quantum officio satis est, non mihi imperfectus videtur.* Quid dicam de Au-

gustino, qui teste Possidio in ejus vita, testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit.

Frustra aliqui objiciunt Martini canonem 16. qui est idem cum 25. Antiocheno: *Participare eum oportet, quæ necessaria sunt, si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquid secundum Sanctum Apostolum dicentem: victu, & tegumento his contenti sumus: ut existiment Clericos, qui sufficiens ad sustentationem suam patrimonium habent, Ecclesiasticorum beneficiorum redditibus, oblationibus, aliisque stipendiis ad necessarium victum, honestumque vestitum recta conscientia uti non posse.* Frustra, inquam; hæc enim verba *Si tamen indiguerint*, non significant Episcopum, vel Clericum, cui sufficiens patrimonium est, Ecclesiasticis redditibus ad sustentationem suam uti non posse; sed ex hujusmodi redditibus tantum accipere, & expendere licere, quantum opus erit, & indiguerint. Id firmat perpetua Ecclesiæ disciplina, & praxis: numquam Clericos sufficiens patrimonium habentes à reddituum Ecclesiasticorum participa-

tione exclusit, aut beneficia possidentes ad relinquendum patrimonium obligavit. Ex Apostolo ipsomet Epist. 1. ad Corinthios cap. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?* Imo canones bona propria defuncti Præsulis, aut cujusvis alterius Clerici ab Ecclesiasticis proventibus sejunxerunt, & istos Ecclesiæ, illa ejus hæredibus servarunt. Præter supradictum Martini canonem 15. & 24. Antiochenum, sic etiam decrevit Agathense Concilium can. 48. *Episcopi de rebus propriis, vel adquisitis, vel quidquid de propria habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant: quicquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ servare censuimus.*

Etiam in præcitato canone 16. ait Martinus corripere oportere Episcopum, qui in sinu suo colligit ex Ecclesiæ reddito, & pauperes fraudat; quod simul omnes corripunt canones. Quidquid sit in præsentia, vel Episcopi, & ceteri

Beneficiati sint vere Domini fructuum
suorum beneficiorum, vel dispensatores
tantum, quod nunc prætermittendum
existimo, Tridentina Synodus sess. 25.
cap. 1. de Reformat. „ Omnino eis in-
„ terdicat, ne ex redditibus Ecclesiæ con-
„ sanguineos, familiaresve suos augere
„ studeant: cum & Apostolorum cano-
„ nes prohibeant, ne res Ecclesiasticas,
„ quæ Dei sunt, consanguineis donent;
„ sed si pauperes sint, iis ut pauperi-
„ bus distribuant; eas tamen non distra-
„ hant, nec dissipent illorum causa:
„ imo quam maxime potest, eos Sancta
„ Synodus monet, ut omnem humanum
„ hunc erga fratres, nepotes, propin-
„ quosque carnis affectum, unde multo-
„ rum malorum in Ecclesia seminarium
„ extat, penitus deponant. Quæ vero
„ de Episcopis dicta sunt, eadem non
„ solum in quibuscumque beneficia Ec-
„ clesiastica, tam sæcularia, quam regu-
„ laria obtinentibus pro gradus sui con-
„ ditione observari, sed & ad Sanctæ
„ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere
„ decernit,,

XVIII.

De Synodo faciendâ.

Propter Ecclesiasticas curas, & alterationum solutiones, beneplacuit, per singulas provincias bis in anno Concilium fieri, convocante Metropolitano Episcopo omnes provinciæ Episcopos; ita ut in his Conciliis predeant omnes Presbyteri, Diaconi, vel hi, quorum in Concilio causæ examinatæ ad justum iudicium prodantur. Et qui manifeste Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi inventi fuerint in offensa, secundum rationem excommunicentur, quandiu communi consensu de his placuit dare sententiam. Nulli autem Episcopo liceat propria apud semetipsum Concilia facere, præter eos, quibus sunt Metropoles creditæ.



XIX.

*De Episcopis, qui ad Synodum
venire noluerint.*

Non liceat ad Concilium convoca-
tos Episcopos continere; sed ire,
& ea, quæ ad utilitatem Ecclesiæ, vel
ceterorum pertinent, aut docere, si novit,
aut doceri, si nescit. Nam si extra agri-
tudinem contempserit ire, reus erit fra-
terni Concilii.

NOTA.

EX canonibus 5. Concilii Nicæni,
& 40. Laodiceni desumpti sunt
hæc canones. Ne Clerici, sive laici
ab Episcopis ipsos contentionis, &
invidiæ impulsu, levibusque de causis
quandoque excommunicantibus oppri-
merentur, sanxerunt Nicæni Patres,
ut ad causas hujusmodi expendendas,
aliaque Ecclesiastica negotia pertractan-
da, Concilia Provincialia bis in anno
celebrarentur. In hoc canone altum est

silentium de Conciliis Nationalibus, sive Dioecesanis, quæ plures provincias, & Dioeceses singulas complectebantur, quarum Episcopi, & Metropolitæ conveniebant; Dioecesis enim, seu Exarchatus rigoroso nomine plures provincias continebat, nec limites tantum uni Episcopo præscriptos significabat. Nationalia hæc, sive Dioecesana Concilia fuere ordinata in Africa, Gallia, & Hispania post constitutam Gothorum Monarchiam, qualia erant tot apud Toletum convocata. Hæc Provincialibus non officiebant, sed iis potius erant præsidio. Id quoque genus fuerunt Concilia tempore Victoris Papæ in Paschæ causa; sub Stephano in baptismi hæreticorum controversia à Firmiliano, & Cypriano; in Paulo Samoetano Antiochiæ Episcopo damnando. Nationalia hæc aspexisse videtur Tertullianus lib. 1. de Jejuniis cap. 13. *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ, & altiora quædam in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.*

De Provincialibus tamen Conciliis
canone hoc Martini, & in omnibus fere
Conciliis à Nicæno usque ad sextam Sy-
nodum Generalem præceptum erat, ut
bis in anno convocarentur à Metropoli-
tis, ad quos tantum pertinet ea convo-
care, nisi sint legitime impediti; quo casu
senior provinciæ Coepiscopus convoca-
ret. Nullum enim integrum, & perfe-
ctum Concilium provinciale est, cui non
interest Metropolita: ex can. 16. Conci-
lii Antiocheni. Sexta Synodus Genera-
lis permisit, ut semel tantum in anno
convocarentur; quod septima Synodus
firmavit, pluribusque postea sæculis In-
nocentius III. in Concilio Lateranensi IV.
can. 6. Denique Concilium Tridentinum
sess. 24. cap. 2. de Reformat. statuit ut
quolibet triennio fierent. Quâ anni parte
celebrarentur, veteres discordant cano-
nes. Nicænus, ut unum ante Quadra-
gesimam, aliud circa autumnum aduna-
retur: Antiochenus, ut unum tempore
medio inter Pascha, & Pentecosten, a-
liud vero Idibus Octobris. Tridentina
vero Synodus præcepit ut post octavam
Paschæ, aliove aptiori tempore juxta
provinciæ morem.

Soli Episcopi provinciæ vocantur ut Judices ad Concilium istud, & Ecclesiarum Cathedralium Capitula, ut sua jura defendant, & Episcopos decisuros suis juvent consiliis. In Episcopos injuste adesse recusantes præscripta est pœna, ut communione suæ Ecclesiæ relicta, aliarum Ecclesiarum ejusdem, ac suæ provinciæ communione privarentur; mutua visitatione, solemni in collegarum Diœcesi, dum in ea erant, præsentem tamen collega, celebratione; litterarum formatarum, & commendatitiarum reciproca missione, & acceptatione; in Conciliis denique auctoritate, suffragiis, & consensu usque ad futurum Concilium. Ita decretum erat in Synodo Carthaginensi V. can. 10. & 21. Carthaginensis IV. *Excusationes suas litteratorie scriberent & legatum mitterent, quidquid Concilium statueret, suscepturum.*

Ex iis verbis Martini: *Nulli autem Episcopo liceat propria apud semetipsum Concilia facere præter eos, quibus sunt Metropoles creditæ; conjicere fas sit, id temporis nondum usitatas esse Synodos, quas hodie Diœcesanas, sive Episcopales*
aut

aut *Civiles* dicimus, ab Episcopo in sua civitate convocatas eum solis suae Dioceseos Presbyteris. Ludovicus Thomassinus de vet. & nov. Eccles. Discipl. P. 2. lib. 3. cap. 73. & Joannes Petrus Gibert. in suo Corpore Juris Canonici tom. 1. Prolegom. P. 1. tit. 18. cap. 3. affirmant omnium antiquissimam fuisse Altifiodorensem celebratam anno 578. Si aliae longe his vetustiores fuere, earum acta, & memoria certe exciderunt. Nec vetustiores, & antiquitate sua Martini temporis praestare convincitur, quod Cornelius Papa in Epistola ad Cyprianum 46. *Presbyterium contraxisse* dicatur, & Siricius in Epistola 2. circa annum 389. ad Episcopos diversos data adversus Jovinianum, ejusque socios referat Joviniani haeresim fuisse damnatam *facto Presbyterio*. Presbyterium illud ex Episcopis etiam unius provinciae, aut Dioceseos, sive Exarchatus fuisse conflatum quis neget? Cornelius allegatus ait: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adsuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie praesentes fuerunt, ut firmato Concilio, quid circa perso-*

nam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur.

Hujusmodi Synodos quotannis esse celebrandas statuit Tridentina Synodus sess. 24. cap. 2. de Reformat. Et si aliqua necessitas postularet, posse etiam sæpius in anno celebrari tenet Barbosa ad Concilium cit. sess. 24. cap. 2. Ordinarie non est convocanda nisi prius fuerit expleta generalis Diœceseos visitatio, ut opportuna remedia malis, & pravis consuetudinibus, ac corruptelis, quæ in Diœcesi sunt, possint applicari: quando tamen habita non fuit a multo tempore, ante visitationem fieri posse decidit Sacra Congregatio Episcoporum in Tarentina 14. Octobris 1586. In Synodo Diœcesana potest Episcopus facere constitutiones, & decreta absque consensu, & approbatione Capituli, & Cleri: licet enim teneatur ad id consilium Capituli exquirere, non tamen tenetur illud sequi, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii 27. Martii 1632. Solus Episcopus in Synodo Diœcesana votum decisivum habet. Eadem Sacra Concilii Congregatio 13. Januarii 1594. Decreta vero, seu constitu-

tionem Synodalem, antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo, & aliis, quorum interest, ac eis duorum mensium præfigi terminus, ut si senserint se gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam. Sacra Congregatio Episcoporum 4. Decemb. 1592. Hujusmodi constitutiones sunt perpetuæ, & non expirant morte conditoris; possunt tamen ab eodem Episcopo, vel ejus successore revocari: ligant Clericos Episcopo subjectos; minime vero Regulares defectu auctoritatis, ut declaravit Rota in Neapolitana 13. Martii 1711. Servandam tamen esse a Regularibus Synodum Dioecesanam quoad tempus humationis cadaverum statuit Sacra Congregatio Rituum 22. Junii 1675. De harum Synodorum utilitate, loco, & tempore ea, quâ floruit, eruditione, & sapientia, egit Sanctissimus D. Benedictus XIV. Tom. 12. de Synodo Dioecesana.

XX.

*De legitima ætate ordinandi
Presbyteri.*

Siquis triginta ætatis suæ non impleverit annos, nullo modo Presbyter ordinetur; etsi valde sit dignus; quia ipse Dominus trigésimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui ordinandus est, usque ad hanc ætatem legitimam conservari.

NOTA.

Desumptus est iste canon ex can. 11. Concilii Neocæsariensis: Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ, sed observet usque ad præfinitum tempus. Dominus enim noster Iesus Christus trigésimo anno baptizatus est, & tunc prædicavit. Id antiquis Patribus erat persuasum: id Justiniano Imperatori placuit, ut Novellam ederet Constitutionem 123. de Sanctissimis Episcopis: Ne-

mo Presbyter consecratur, qui minor triginta annis sit: nemo Diaconus, vel Subdiaconus fiat, qui minor viginti quinque annis sit. Fuere tamen aliæ præpoperæ ante eam præscriptam ætatem ordinationes, quibus morum integritas, personæ sanctitas, & scientiæ dignitas auctoritatem conciliabat. Palladius refert S. Joannem Chrysostomum trigesimo octavo ætatis anno ad Episcopatum fuisse assumptum, cum in Diaconatu quinque annos retinisset, & duodecim in Presbyteratu defungendo: unde colliges, qua ætate Diaconus, deinde Presbyter ordinaretur. Flodoardus lib. 1. Historiæ Remensis cap. 11. ait Sanctum Remigium electum fuisse Remensem Archiepiscopum cum viginti duos annos tantum esset natus. Et Zacharias Papa in Epistola ad Bonifacium Moguntinum Episcopum apud Gratianum Dist. 78. cap. Si Triginta scripsit: Si triginta annorum non reperiuntur, & necessitas exposcit à viginti quinque annis, & supra Levitæ, & Sacerdotes ordinentur. Tandem Tridentina Synodus sess. 23. cap. 12. de Reformat. decrevit, ut nul-

lus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annis promoveatur.... Regulares quoque nec minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. Concilii tamen Congregatio die 7. Septembris anno 1594. censuit sufficere eos annos fuisse coeptos, ut ad prædictos Ordines promoveantur.

Si vero, qui absque speciali dispensatione, seu privilegio ante legitimam ætatem Ordines suscipiunt, licet illicite, valide tamen suscipiunt, ut videre est apud Eminentissimum Petram tom. 5. Commentar. ad Constit. 7. Pii II. sect. unica n. 1. & apud alios passim Theologos. Unde Glossa in cap. Consultationi de Tempor. Ordinat. ait verb. *Characterem. Ita quocumque tempore conferatur, imprimatur character; quia tempus non est de substantia ordinis, sic nec ætas impedit characterem; sed punitur qui recipit, quia interdicitur ei executio ordinis suscepti.* Si autem Episcopus ante

Ordinationem protestaretur se vere, & absolute non habere intentionem ordinandi eos, qui non haberent legitimam ætatem, invalida esset tunc eorum ordinatio, defectu intentionis Ministri, quæ necessario requiritur ad validitatem Sacramenti, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii die 31. Januarii 1688. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem suspenditur à collatione omnium Ordinum ex cap. *Vel non compos* 14. de Temporib. Ordin. Ordinati scienter Ordinibus maioribus ante legitimam ætatem sunt ipso jure suspensi, & si, durante suspensione, in eisdem Ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, & ultra alias pœnas possunt etiam privari beneficiis Ecclesiasticis: sic expresse decrevit Pius II. in Constitutione *Cum ex sacrorum*, ibi: *Etsi hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter à Jure inflictas, beneficiis Ecclesiasticis possint jure privari.*

Addit Cardinalis Petra loco citato

n. 13. suspensionem in Pii II. Constitutione esse perpetuam; unde si advenerit ætas, durare, donec auferatur, seu relaxetur. Quamobrem ita suspensi ob dolose ante legitimam ætatem receptos Ordines, & facti irregulares ob administrationem in ipsis factam, durante suspensione, solent recurrere ad Sacram Pœnitentiarum, cum delictum est occultum; & Sacra Pœnitentia solet concedere facultatem confessario eos absolvendi à suspensione, & dispensandi ab irregularitate, cum clausula: *Dummodo de presenti habeant ætatem*: & solet injungere confessario exequenti, ut tales pœnitentes per aliquod tempus sibi beneficium suspensos detineat ab Ordinibus, antequam gratiam absolutionis exequatur; ita ut si hujusmodi pœnitentes, durante dicto tempore suspensionis demandatæ ministraverint, denuo irregularitatem incurrant. Ita supracitatus Petra. Si delictum evadat publicum, causa devolvitur ad Sacram Cōgregationem Episcoporum, & Regularium, ut de simili casu testatur idemmet Cardinalis Petra. Evenit igitur casus in S. Pœnitentia.

Quidam Regularis fuit promotus ad Subdiaconatum ante ætatem legitimam attestatione Parochi adulterata; & quia urgebatur à superioribus ut se promoveret ad Diaconatum, & Presbyteratum, & delictum fuerat occultum, recurrit ad Sacram Pœnitentiarum, quæ cum delictum illud esset secretum, facile absolvit, & dispensavit. Sed difficultas erat ante ætatem legitimam dispensare ad Diaconatum; & eo magis, quia pœnitens ad se non prodeundum, deberet se promoveri facere ad Sacerdotium, & in eo ministrare etiam ante ætatem. Fuit factum verbo cum Romano Pontifice ore tenus, & in conscientia concessa absolutio, & facultas recipiendi Diaconatum, imo se promovendi ad Presbyteratum ante ætatem legitimam, pro foro interno tantum, ita ut prodesse non posset indultum pro externo, & nulla data ei attestatione hujus dispensationis; idque indultum fuit, quia aderat periculum, ne Religiosi Orationis delictum proderetur suis superioribus, nisi paruisset iis, ascendendo ad Sacerdotium, secundum Ordinis sui statuta; & sic non debuisset se inhabilem

154 VETUS CANONUM CODEX
declārare. Verum, recepto Presbyteratu, delictum illud venit ad aures superiorum, evasitque publicum; ac mancipatus carceribus pœnitens imploravit auxilium Sacræ Pœnitentiariæ; sed ea non potuit favere, cum ageretur de foro externo, pro quo indulgentia concessa non potuerat suffragari. Unde causa devoluta ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium post aliquod tempus carcerationis, & suspensione servata ab Ordinibus per aliquod tempus, fuit absolutus, & dispensatus ab irregularitate ob ministrationem sequutam; ac etiam à privatione vocis, in qua fuerat mulctatus à suis superioribus. Hactenus Petra.

XXI.

*De Eunuchis, qui ab aliis fiunt,
vel qui ipsi sibi naturalia
abscindunt.*

Siquis pro causa ægrotudinis naturalia à Medicis habuerit secta; similiter & qui à barbaris, aut à dominis stultis fuerint castrati, & moribus digni

fuerint visi; hos canon admittit ad Clericatus officium promoveri. Siquis autem sanus non per disciplinam Religionis, & abstinentiæ, sed per abscisionem plastmati à Deo corporis, existimans à se posse carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium. Quod si jam antea fuerat promotus ad Clerum, prohibitus à suo ministerio deponatur.

N O T A.

EX Can. 1. Nicæni Concilii suum excerpfit Martinus. Eunuchi Ecclesiastico, non Divino jure à Sacris Ordinibus arcentur. Nicæni Concilii tempore defectum istum inter canonica Sacramentorum Ordinationum impedimenta fuisse constitutum conjicio ex ejusdem Nicæni Concilii canone: *Et deinceps nullum debere talium promereri.* Et quamvis can. 22. Apostolico id etiam prohibeatur, certum est hujusmodi canones nec Apostolos habuisse Auctores, nec semper ab omnibus fuisse observatos. Origenem, qui suæ castitati timens inter

mulieres forma elegantes, & juventutē floridas doctrinæ causa ad eum confluentes seipsum eviraverat, Theoctistus Cæsareæ Episcopus, & Alexander Hierosolymorum ad Sacerdotium promovit, scriptore Eusebio lib. 6. Hist. Ecclesiastic. cap. 15. Nec ob hanc evirationem Demetrius Alexandrinus perperam Origenem insectatus est, si Eusebio credimus cap. 8. libri citati: *Demetrius de eo post certior factus, tametsi hoc audax ejus facinus vehementer admiratus est; tamen incredibilem animi propensionem, & ingenuitatem fidei amplexatus, eum illico confidere, ac bono animo esse jubet, & maiore cura, ac studio in munus catecheseon incumbere hortatur.* Sed ob invidiam profert Eusebius ibidem: *Idem cum Origenem prospere ac feliciter rem gerentem, & magno splendore, fameque celebritate apud omnes prædicatum animadverteret; ardore quodam æmulationis incensus, eum tamquam absurdissimi facinoris reum per litteras notare tentabat.* Idemmet Eusebius lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 24. loquens de Episcopis, qui in Asia circa Paschæ tempus dissen-

ferant, inter eos numerat Melitonem Sardorum Episcopum Eunuchum. Post Nicænum Concilium è Sacerdotio dejectus est Leontius Episcopus Arianus, qui seipsum exciderat, ut absque pudoris periculo mala familiaritate uteretur, & muliercula, quam adamaverat, citra turpem suspicionem, & famæ discrimen frueretur.

Igitur post Nicænum Concilium in Ecclesia istud institutum est Clericatus impedimentum. Si voluntarie procurantes hanc mutilationem propter castitatem servandam, vel sic Deo obsequium præstandum, fiunt irregulares, ex supra dicto canone, à fortiori sunt irregulares se permittentes castrari ob vocem musicam, cum finis hic valde sit inferior. Mutilationem autem patientes ignari, ut pueri secti in infantia inviti, aut violenter à latronibus, vel barbaris mutilati, vel ad evitandum gravius malum corporis de consilio medicorum, non fiunt irregulares; quia cessat ratio incurrendi irregularitatem, nempe perversa voluntas, & sævitia in seipsum. Sic in Nicæno can. I. *Sic eos, quos aut barbari, aut*

domini castraverunt, si inveniuntur alias dignissimi, tales ad Clerum suscipiat regula. Hujusmodi irregularitatem, sicut & omnes quascumque alias, sive ex delicto, sive ex defectu provenientes Papa potest tollere, & dispensare, cum in omni jure Ecclesiastico possit dispensare Clement. Ne Romani in principio de Electione. Episcopi vero ex Concilio Tridentino sess. 24. de Reformat. cap. 6. possunt in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

XXII.

De Neophytis.

Q *Ui nuper baptizati fuerint, jam ætate legitima, non continuo liceat eos ad Ecclesiasticum ordinem promoveri: quia oportet illum prius doceri, quam possit docere: quo multo tempore baptismum possit probare, ut bene probatus veniat ad Clerum, secundum præ-*

ceptum Apostoli dicentis: Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat, & in laqueum diaboli. Si succedenti tempore in aliquo gravi peccato à duobus, vel tribus testibus fuerit convictus, depositus de gradu suo cesset à Clero. Siquis contra hanc regulam facere presumpserit, quasi contrarius magni Concilii projiciatur à Clero.

N O T A.

Sic scripsit Apostolus Paulus I. ad Timotheum cap. 3. Sic statuerunt Nicæni Patres can. 2. & Laodiceni can. 3. Inde excepti sunt aliqui viri, quos uberior Dei gratia illustravit, quales fuerunt Paulus, Ambrosius, Nectarius, & Augustinus, qui derepente fuerunt rapti in Presbyteratus cathedras, vel Episcopales Sedes, studio, ætate, ac favore quodam inusitato plebium, quem canonica decreta, ut præfestinum merito coercuissent, damnassentque, nisi ei adesset Spiritus Sanctus, qui illos omnes singulari quadam virtutum, & sanctimonie gratia exornavit. Ambrosius ipse in

Epist. 82. fatebatur, se, cum esset laicus, non potuisse statim evehi ad Episcopatum, sed eorum culpam esse, qui sibi vim adtulerant, quam ipsius, qui passus fuerat. *Tamen (ait ille) ordinationem meam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probaverunt. Et tamen Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogenti est.* Hinc etiam animadvertendum est, hanc irregularitatem Neophytatus non esse juris divini. Et quamvis Paulus meminerit, aut præscripserit; non ut Apostolus, sed ut Ordinarius Pastor instituit. Quæ ab Apostolis, tantum ut Pastoribus instituta sunt, non nisi Ecclesiasticæ legis vim habent. Ita Theologi omnes.

Colliges hinc filios à Judæis, vel infidelibus oriundos non incurrere à Jure communi Neophytatus irregularitatem, si à primis infantia crepundiis baptizati fuerint, & inde christiane vixerint. Sic rescripsit Alexander III. ad Episcopum Tornacensem cap. 7. de Rescriptis: *Mandatum dedimus, ut P. qui de gente Judæorum originem duxit, & divina gratia*

ia fidem Christi suscepit) in canonicum recipere.... Pro eo vero quod Judæus extiterit, ipsum dedignari non debes. Quia tamen parentes sæpius in liberos ingenium, moresque transfundunt, & mali corvi malum est ovum, ideo si aliorum à Christianis progenitorum copia sit, qui ad Clericatum idonei sunt, hi illis anteferuntur. Unde Mexicana Synodus anno 1581. Maurorum, aliorumque ejusdem generis infidelium filios circumspecte admodum ordinari præcepit, & quamplures Ecclesiæ statutis suis eos arcent ab Ordinibus, & Religionibus ab ingressu suo. Et Sixtus V. Pontifex Maximus suis literis Apostolicis datis 15. Januarii 1588. & confirmatis à Clemente VIII. die 18. Decembris 1600. in Portugallia regno servari jussit, ne descendes à Judæis promoverentur ad Ordines, quarum executionem iterum inculcavit Sacra Congregatio Sancti Officii, Epistola ad Collectorem ejusdem regni. Quale probationi sufficiat tempus, cum agitur de iis ordinandis, qui ab hæresi, vel gentilitate ad fidem conversi sunt, non conveniunt Auctores. Certe in hac re

nullum à jure tempus definitur, sed relinquendum est Episcopi arbitrio, cujus est perpendere, an recenter ad fidem conversi tantæ sint virtutis, & constantiæ, ut nihil ab iis ob fidei novitatem timeatur.

XXIII.

*De Pœnitente non admittendo
ad Clerum.*

Pœnitens tantum, si necessitas, aut usus exegerit, inter Ostiarios prius deputetur, vel inter Lectores, ita ut Evangelia, vel Epistolam non legat. Si qui autem ante ordinati sint, inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut sacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus ideo, quod post baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus, aut gravissimis peccatis publicam pœnitentiam gerens, divino fuerit reconciliatus altario.

N O T A.

EX Can. 2. Concilii Toletani i. suum confecit Martinus eisdem verbis. Nihil magis commendavit Paulus, quam ut sine crimine essent, qui per civitates Diaconi, Presbyteri, & Episcopi constituebantur. Non requirebant, ut sine peccato essent, sed sine crimine, id est sine iis flagitiis, & sceleribus, quæ sola pœnitentia publica solvebantur. Hinc Romani Pontifices, Concilia, & veteres Ecclesiæ Patres pœnitētes ipsos inter irregulares ad Sacros Ordines numerarunt, ut tota in crimina ipsa redundaret invidia, quæ solius pœnitentiæ publicæ lacrymis abstergi poterant. Concilium Neocæsariense can. 9. & 10. Presbyteros, & Diaconos ordinari prohibuit, qui corpus scelere quovis maculaverant, eos accedere ad altare vetuit, si eorum crimina aut sua confessione, vel canonica convictione paterent. In Ancyranis canonibus 1. & 2. ab omnibus altaris functionibus arcentur Presbyteri, & Diaconi, qui idolis immolaverant. Conci-

lium Carthaginense IV. can. 68. statuit
Ex pœnitentibus, quamvis sit bonus, Cler-
icus non ordinetur. Si per ignorantiam
Episcopi factum fuerit, deponatur a
Clero, qui se ordinationis tempore non
prodidit esse pœnitentem. Si autem sciens
Episcopus ordinaverit talem, etiam ab
Episcopatus sui ordinandi dumtaxat po-
testate privetur. Humanius quidem fuit
Toletanum Concilium I. unde exscri-
psit Martinus; nam statuit, ut si necessi-
tas, aut usus exigeret, ad minores Or-
dines suscipi possent pœnitentes.

Justis, & necessariis de causis re-
misit Ecclesia de antiquo rigore canonum;
& se ita temperavit, ut miram sapien-
tiam, & charitatem in sua spiret disci-
plina. Alexander III. anno 1170. in cap.
Ex tenore 4. de Tempor. ordinat. publi-
corum criminum irregularitatem obser-
vare indixit; occultorum vero relaxavit,
expleta penitus, aut magna ex parte pœ-
nitentia. Honorius III. interpellante Lu-
dovico primogenito Philippi Francorum
Regis, dispensationem quorundam Pres-
byterorum, & Clericorum concessit, ut
ad Ecclesiarum dignitates, & superiores

Ordines promoverentur, licet publicam subiissent pœnitentiam. Grægorius IX. cap. *Quæsitum* 17. de Tempor. ordinat. consultus respondit de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, vel homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientia recta perdiderunt: quod *si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri; qui si non pœnituerint, monendi sunt, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* Tridentina Synodus sess. 24. cap. 8. de Reformat. statuit ut pœnitentia publica pro peccatis publicis peragenda ab Episcopo posset in pœnitentiam occultam commutari, *quando ita magis judicaverit.* Verum nullibi permisit, ut pœnitentia publica in defuetudinem iret, & omnino aboleretur, neque Episcopis indulset, ut absolverent ab irregularitatibus, quæ criminibus publicis adhærent.

XXIV.

*De his, qui sine discrimine, aut
Presbyteri, aut Diacones
ordinati sunt.*

Siquis Presbyter, aut Diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt; aut certe cum discuterentur, criminosa peccata sua celaverunt, & post ordinationem ab aliis sunt detecti, abjiciantur à Clero. Similiter & de universo ordine Cleri servetur. Nam hoc sibi, quod irreprehensibile est, Sancta, & Catholica defendit Ecclesia.

XXV.

De Presbyteris, & Diaconibus, qui post ordinationem denotantur.

Siquis Presbyter ante ordinationem peccaverit, & post ordinationem confessus fuerit, quia antea erravit, non offerat; sed tantum pro religione nomen

LUSIT. ECCLES. CAN. XXIV. & XXV. 167
Presbyteri portet. Similiter & de Dia-
conibus servandum est, ut si ipse confes-
sus fuerit, ordinem Subdiaconatus ac-
cipiat.

XXVI.

De his, qui viduas, aut dimis-
sas ducunt, aut in malis con-
siliis mixti sunt.

S *Iquis viduam, aut ab alio dimissam*
duxerit, non admittatur ad Clerum,
aut si obrepserit, rejiciatur; similiter si
homicidii, aut facti, aut precepto,
aut consilio, aut assensione post baptis-
mus conscius fuerit, & per aliquam
subreptionem ad Clericatum venerit,
dejiciatur, & in finem vite sue commu-
nionem recipiat.

NOTA.

E X Canone 9. & 10. Nicæni Conci-
lii excerptit Martinus canonem su-
um 24. de his, qui sine discussione. Ex
Neocæsariensi 9. & 10. canonem 25. de

Presbyteris, & Diaconibus. Ex Epistola Innocentii I. ad Victricium Rothomagensis defumpfit canonem 26. de Presbyteris, & Diaconibus. Scelera illa erant abominationi Ecclesie, & patet, quam animi puritate essent, quos Dominus in suam sortem vocaverat, ut transgressores tam acerbè punirentur. Castigandæ incontinentiæ Bigamiæ interpretativæ irregularitas constituta est à Patribus, de qua Martinus can. 26. *de his qui viduas*. In eo non Bigamia realis, sed interpretativa prohibetur ad Clerum; fictione enim juris, seu interpretatione, qui viduam, aut ab alio dimissam duxerit, cenietur plures habuisse uxores, licet reipsa plures non habuerit: ejus matrimonium perfectam non habet Sacramenti significationem, qualis est conjunctio Christi cum Ecclesia; nam Christi unio cum Ecclesia est viri, qui aliam non habuit sponsam, & sponsæ, quæ alium non habuit virum. Aliud visum est Concilio Toletano I. cum Lectorem, qui viduam duceret, ab officio non dejecit, sed ad Subdiaconum, & non ultra provehi concessit can. 3. & 4.

Hæc Bigamiæ irregularitas à Jure est positivo Ecclesiastico : & Paulus Epist. 1. ad Timotheum cap. 1. eam non statuit auctoritate divina tamquam Apostolus promulgans jus divinum , sed tamquam Episcopus , & Pastor Ecclesiæ condendo leges Ecclesiasticas. Unde Summus Pontifex in omni Bigamia potest dispensare quoad omnes Ordines. Episcopis nullibi hæc potestas in jure conceditur , imo eis expresse interdicitur in cap. *Super eo* 2. de Bigamis , ubi Lucius III. de bigamis requisitus respondit : *Quod Ordinatores eorum potestate , & officio ordinandi , & ordinati ad Sacros Ordines eis sunt privandi.* Probabilius etiam existimant quamplures Theologi , ne ad Tonsuram quidem , & minores Ordines bigamos ab Episcopis posse dispensari , nisi forte alicubi receptum sit , & antiquo usu firmatum.

Ex eodem can. 26. irregularis fit omnis & solus baptizatus , qui actu consummato , & voluntarie hominem occidit , aut ad homicidium concurrit. Cum Ordines omnes referantur ad Eucharistiæ Sacramentum , in quo repræsentatur pas-

sio Christi, qui in toto vitæ decursu
mitem se exhibuit, sequitur Sacerdotem,
aut alium quemvis homicidam à norma,
& exemplo Christi deficere, ac proinde
merito constitui irregularem. Cur autem
statuerit Ecclesia ut infideles homicidæ
post baptismum irregulares non sint, se-
cus de bigamis, qui duas uxores con-
traxerunt, unam ante baptismum, alte-
ram post, vel utramque ante baptismum:
præter Ecclesiæ voluntatem, hæc profertur
ratio. Per baptismum crimina, & pecca-
ta plene dimittuntur, & purgatur prava,
& immitis voluntas quâ illa fuerunt com-
missa, secus vero de Bigamia; neque e-
nim in baptismo tollitur acceptæ uxo-
ris consortium, nec reintegratur divisio
carnis, ut cessare valeat defectus Sacra-
menti per Apostolum cap. 5. ad Ephesios
explicati, quod unionem Christi cum
Ecclesia significat. Clarius id fit ex cap.
*Una 4. Dist. 26. Quod plerisque mirum
videtur, cur etiam ante baptismum ite-
rata conjugia electioni muneris, & præ-
rogativæ ordinationis impedimenta ge-
nerent, cum etiam delicta obesse non so-
leant, si lavacri remissa fuerint Sacra-*

mento; intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest; in conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpa est igitur, in baptismo relaxatur; quod legis est in conjugio non solvitur.

XXVII.

De fornicatoribus Clericis.

Siquis Presbyter, aut Diaconus fuerit fornicatus, aut mœchatus, projiciatur, & agat pœnitentiam.

XXVIII.

De his, quorum uxores mœchantur.

SI alicujus laici uxor in adulterio fuit deprehensa, hic talis ad ministerium Ecclesiæ nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicujus Clerici uxor adultera fuerit, dimittat eam, si autem cum ipsa voluerit permanere, à ministerio alienus sit.


NOTA.

Martinus Can. 27. de fornicatoribus Clericis desumpsit ex can. 1. Neocæsariensi, in suæ provinciæ usum, & disciplinam accommodans. Presbyteros, & Diaconos eo crimine conspurcatos projicit à gradu ad agendam pœnitentiam. Quam tamen agerent pœnitentiam, publicam cum laicis, aut privatam in Monasteriis seclusi, ibi non indicat. Varia quidem fuit hac de re Ecclesiæ disciplina. Ad sæculi usque quarti initium maiores Clerici iis sceleribus contaminati publicæ subditi fuere pœnitentiæ; manuum tamen impositionem cum publice pœnitentibus per singulas synaxes non subibant; in cinere, & cilicio prosternebantur, aliaque ferebant squalloris, & dejectionis pœnitentiæ insignia. Ita canones Eliberitanus 62. & Neocæsariensis 1. Exemplo sit Natalis Episcopus, qui, ut narrat Eusebius lib. 5. Histor. cap. ult. cum ab hæreticis Episcopus esset creatus, & resipiscens ad pedes Zepherini Romani Pontificis in sacco, cinere-

que cum lacrymis sese abjecisset, non solum Cleri, sed etiam laicorum vestigiis est advolutus. Unus etiam Episcopus è duobus, qui Novatiano manus imposuerant, narrat idem Eusebius lib. 6. Histor. cap. 43. non longe post peccatum flebiliter lamentans, & aperte confessus, ad Ecclesiam revenit; qui, populo universo pro eo rogante, ut laicus in communionem receptus est.

Sæculo quarto vergente alia erat disciplina, & maiores Clerici poenitentiae publicæ onere sunt levati. Siricius Papa in Epistola ad Himerium Tarracensem cap. 14. inquit: *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post poenitudinem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci.* S. Leo in Epist. ad Rusticum Narbonensem ait: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconi gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi ... unde hujusmodi lapsis privata est expetenda secessio, ubi illis sa-*

tisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Leonis tempore, sæculi quinti medio, jam hæc erat consuetudo suæ Ecclesiæ à centum fere annis, ut maiores Clericos privatim pœniteret in Monasteriis. Hanc etiam fuisse Martini tempore apud Hispanos, qui Siricii literas per universas provincias veneratione maxima susceperunt, non abs re conjiciendum est. Hinc Concilium Toletanum IV. anno 633. can. 45. Clericos crimine maculatos, amisso ordinis sui gradu, in Monasterium pœnitentiæ contrudi iussit. Id eo consilio factum est, ut ita scelerum pœnas darent, ut, ne eorum dedecore Clerus universus deturparetur, Sacerdotii honori consuleretur. Si tamen ii pœnitentiam publicam flagitarent, ex animoque humili, & dimisso subjici vellent, non denegabatur.



XXIX.

De viduis Clericorum.

S *Iqua vidua Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi maritum acceperit, nullus Clericus, nulla Religiosa cum ea convivium sumat, numquam communicet: morienti tantum ei Sacramentum subvenit.*

NOTA.

C An. 18. Concilii Toletani 1. eisdem verbis id fuit stabilitum, unde Martinus collegit: & ex Martino desumpsit Gratianus Dist. 28. cap. 12. Huiusmodi viduæ erant, quæ aut Episcopæ, aut Presbyteræ, aut Diaconissæ à veteribus nuncupabantur; & de quibus Concilium Turonense II. anno 567. can. 19. ait: *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbyteræ, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio Clericali. Illæ ab Episcopis, vel*

Presbyteris, vel Diaconis relictae tenebantur vel castitatem vovere, si in saeculo remanerent, vel ad Monasteria se recipere, ibique religionem profiteri, & post suorum virorum mortem non poterant ad alia vota transire, & alium maritum accipere. Quapropter in Concilio Romano sub Gregorio II. anno 721. cap. 1. fertur: *Siquis Presbyteratam duxerit in conjugium: anathema sit.* Viduae istae erant uxores, quas Episcopi, Presbyteri, & Diaconi (si adtendas ad Ecclesiam Latinam) ante ordinationem duxerant. Si adtendas, inquam, ad Ecclesiam Latinam, in qua usu tam antiquo, ac constanti recepta fuit, & probata maiorum Clericorum continentia, ut nec Episcopis, nec Presbyteris, nec Diaconis, aut uxores ducere post ordinationem, aut ante ductis uti licitum unquam esset. Antiquissimus est pro Ecclesia Hispana canon 33. Concilii Eliberitani: antiquitatem etiam commendant alii canones pro Ecclesiis Germana, Anglica, Gallicana, Itala, & Africana.

In Ecclesia Graeca ex can. 9. Concilii Ancyran, Diaconi, si in ipsa ordinatione

natione protestarentur, & dicerent velle se conjugio copulari, quia sic manere non possent; si postmodum uxores ducerent, in ministerio manebant. Episcopis vero, & Presbyteris numquam licuit post ordinationem conjugium contrahere: quod ostendit Historia Paphnutii, quam refert Socrates lib. I. Histor. cap. II. qui cum intercederet, ne Patres Nicæni legem ferrent, qua sacri ministri ab usu uxorum, quas laici duxerant, removerentur, dixit: *Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent.* Ex usu tamen, ac laudabili disciplina ab uxoribus ante ordinationem ductis antiquitus abstinabant, quamquam nulla lege universali ad id adstringi viderentur. De usu illo laudabili loquitur Epiphanius in Exposit. fidei Catholicæ: *Sacerdotium ex Virginum Ordine præcipue constat, aut si minus è Virginibus, certe ex Monachis, aut si minus Monachorum Ordine, ex his creari Sacerdotes solent, qui à suis se uxoribus continent.* Et Hæresi 59.

Quin eum, qui adhuc in matrimonio de-

„git, liberis dat operam, tametsi sit unius
 „ uxoris vir; nequaquam tamen ad Diaconi,
 „ Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi
 „ ordinē admittit Ecclesia, sed eum dum-
 „ taxat, qui ab unius uxoris consuetudi-
 „ ne sese continuerit, aut ea sit orbatus,,
 Usū, ac laudabilem disciplinam inf-
 pexisse Epiphanium opinor in aliquibus
 Ecclesiis Græcis ex verbis iis *precipue,*
 & *solent & Hypodiaconi.* Quis enim in
 historia versatus asserat Subdiaconos uni-
 versim per omnes Ecclesias Epiphanii
 tempore perpetuæ continentiaē legi fuisse
 adscriptos?

Testatur id Socrates lib. 5. Histor.
 cap. 22. „ Aliam consuetudinem in Thes-
 „ salia esse cognovi. Clericus ibi pro-
 „ motus, si post Clericatum dormierit
 „ cum uxore, quam ante Clericatum
 „ legitimo matrimonio sibi copulaverat,
 „ abdicatur: cum in Oriente sua sponte,
 „ etiam Episcopi ab uxoribus abstineant;
 „ nulla tamen lege, aut necessitate con-
 „ stricti id faciant. Multi enim illorum,
 „ Episcopatus etiam sui tempore libe-
 „ ros ex legitimo conjugio susceperunt,,
 Innocentius III. cap. *Cum olim* 6. de Cle-

ricis conjugatis anno 1212. scribens ad
Archerontinum Archiepiscopum consu-
lentem : an filius Sacerdotis Græci ad
Episcopatum Angloriensem promoveri
posset , ad quem fuerat ab Angloriensi-
bus canonicis electus , respondit : „ Nos
„ adtendentes , quod Orientalis Ecclesia
„ votum continentia non admisit , quo-
„ niam Orientales in minoribus ordini-
„ bus contrahunt , & in superioribus u-
„ tuntur matrimonio jam contracto : man-
„ damus , quatenus nisi pro eo , quod
„ inter Latinos Græci hujusmodi con-
„ versantur , regionis consuetudo repu-
„ gnet , si aliud canonicum non obsistat ,
„ ad confirmationem , & consecratio-
„ nem ejusdem sine dubitatione proce-
„ das. „ Hinc est quod cum in Concilio
Lugdunensi sub Gregorio X. & in Flo-
rentino sub Eugenio IV. Latini , &
Græci unionem inirent , & pacem ,
numquam Græci fuere damnati , quod
suis Presbyteris usum matrimonii ante
ordinationem contracti permetterent :
numquam Latini ab eis hanc pacis con-
ditionem postularunt , ut Presbyteros u-
xorum consortio removerent.

XXX.

De filia Episcopi, vel Presbyteri, sive Diaconi.

S*I devota fuerit, & maritum duxerit; si eam pater, vel mater in affectum receperint, à communionem habentur alieni. Pater vero causas in Concilio se noverit prestiturum; mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem vivente eo recesserit, & pœnituerit, communionem in ultimo vitæ deficiens accipiat.*

XXXI.

De devota peccante, vel quæ se maritaverit.

D*Evotam peccantem non recipiendam in Ecclesia, nisi peccare desierit, & desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, & recipiat communionem. Prius autem, quam in Ecclesia admit-*

LUSIT. ECCLES. CAN. XXX. & XXXI. 181

tatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, etiam ea, quæ illam receperit, habeatur abstenta. Corruptorem etiam per pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivente ipso marito, caste vixerit, aut post ipse de hac vita discesserit.

NOTA.

EX Canonibus 19. & 16. Concilii Toletani 1. à Martino desumpti sunt isti. In virgines, aut viduas, quæ se Deo dicaverant, Sanctimonialisque fiebant, ac *Devotæ* appellabantur, si postea matrimonium contraherent, aut contra castitatis votum delinquerent, à Toletanis Patribus pœna ea fuerat constituta, ut non admitterentur ad communionem, nisi, marito defuncto, agerent pœnitentiam, aut eo in humanis agente, caste viverent. Humanius fuit Toletanum Concilium, quam Eliberitanum: istud can. 13. hujusmodi virginibus in fine communionem concessit, si toto vitæ

tempore pœnitentiam agerent: illud post decem annos pœnitentiæ elapsos, quamvis ad vitæ finem non accederent. Innocentius I. in Epistola ad Viêtricium Rothomagensem discernit inter virgines Deo castitatis voto obstrictas, nec dum sacro velamine tectas, & alias jam velatas. Istæ, quæ à Sacerdote velantur, si postea publice nupserint, non erant admittendæ ad pœnitentiam agendam, nisi hi, quibus se junxerant, a mundo recederent. Illæ vero, si nubèrent, aliquanto tempore pœnitentiam agerent. Ita etiam legitur in Decret. caus. 27. quæst. 1. cap. 9. & 10.

Ex canonibus iis Toletanis infert Bertus Clarissimus Theologus lib. 37. cap. 6. de Impedimento voti, Sanctimonialium, Monachorumque conjugia fuisse irrita, & nulla: Christianum Lupum sequitur Dissert. Præmiali volum. 4. cap. 10. Magnum Parentem Augustinum uterque deserit, cum Sanctissimus Docteur lib. de bono viduitatis cap. 10. eorum sententiam improbet, qui virginum conjugia post votum, quod emisérant, castitatis, non conjugia, sed adulteria vocarent

„ Qui dicunt talium nuptias non esse nu-
„ ptias, sed potius adulteria, non mihi
„ videntur satis acute, ac diligenter con-
„ siderare quid dicant.... Fit autem per
„ hanc minus consideratam opinionem,
„ qua putant lapsarum à sancto propo-
„ sito foeminarum, si nupserint, non esse
„ conjugia, non parvum malum: ut à
„ maritis separarentur uxores, quasi a-
„ dulterae sint, non uxores, & cum vo-
„ lunt eas separatas reddere continen-
„ tiae, faciunt maritos earum adulteros
„ veros, cum, suis uxoribus vivis, alteras
„ duxerint,, Bertus Magnum Parentem
de voto simplici commode explicat, non
de solemnibus. En dicto proprio fateri ei
opus sit conjugia in canonibus iis Tole-
tanis post professionem Monialium con-
tracta, & reprobata, non irrita, & nul-
la fuisse, sed rata, & vera, quamvis illi-
cita. Si praeterita Ecclesiasticae Historiae
saecula evolvamur, nondum erat solemne
religionis votum, quod matrimonia di-
rimeret: nullum erat inter simplex, &
solemne votum discrimen: nec benedi-
ctio, aut consecratio illa virginum velo-
tectarum spiritualis voti solemnitatem

184 VETUS CANONUM CODEX
inducebat, quæ hodie observatur. Sub-
diaconi etiam consecrabantur, & solem-
niter in ordinatione benedicebantur, quo-
rum tamen matrimonia postea contracta
non irrita, sed rata fuisse agnoscunt om-
nes. Tandem Concilium Chalcedonense
can. 15. sola excommunicatione animad-
vertit in Virgines, & Monachos, si con-
trahant, quod licitum non esse obser-
vat quidem, at irritum, & nullum non
declarat.

XXXII.

De subintroductis adoptivis mu- lieribus.

N Ullus Episcopus, neque Presby-
ter, neque Diaconus, neque omni-
no aliquis ex Clero, licentiam habeat
intromittendi ad se quasi adoptivam ali-
quam mulierem, quasi in loco filiæ, aut
matris, nisi forte sororem veram ex ger-
manitate, aut sororem matris, vel pa-
tris, & illas solas personas, quæ ab
omni mala suspicione alienæ sunt. Simi-
liter & religiosis fœminis laicorum alie-
norum familiaritatem, & consortium

prohibemus, & eorum, qui nec in Dei timore subiecti sunt, nec continentiae retinent disciplinam.

N O T A.

AD Can. 3. Concilii Nicæni aspexit Martinus. De istius canonis sensu ultro, citroque disputatur: quidam existimant illo continentiae perpetuae legem Clericis maioribus imponi: alii tamen per hunc canonem uxorum anteductarum usum secundum supradicta sacris ministris non interdici contendunt. Subintroductæ enim mulieres extraneæ sunt, & quæ malam suspensionem adversus Clericos honeste cum illis degentes parere possunt. Unde S. Basilius Epist. 17. ad Paregorium Presbyterum hujus canonis auctoritate nisus non permisit septuagenarium senem secum habitantem habere mulierem, sed ait: *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in Monasterium. Sit illa cum virginibus, tu inter viros ministra. Lege canonem à Sanctis Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum, qui manifeste interdicit nequis mulierem subintroductam habeat.* Et Epiphanius

Hæresi 67. de Hieracithis nuptias damnantibus ait : *Subsannantur autem perfectissime propter eas , quas singuli habent , subintroductas mulieres , de quibus gloriari solent , se habere ipsas ad ministerium.* Clericorum fama , & castitas cum subintroductis mulieribus periclitabatur ; non autem cum uxoribus ante ordinationem ductis , quibuscum castitatem servantes conjugalem , nemini erant offensionis , continentiae perpetuae lege nondum in Oriente , ut supradiximus , imposita.

Igitur Clericis semper vetitum fuit foeminas ad sua domicilia admittere : unde de Magno P. Augustino fertur cap. *Legitur* 25. Dist. 81. quod cum sorore habitare non consenserit dicens : *Quæ cum sorore mea sunt , sorores meæ non sunt.* Quotiescumque enim mulieres , quæ cum Clericis cohabitare permittuntur , sunt aliquo modo suspectæ , non tantum extraneæ , & famulæ , sed etsi consanguineæ sint , separandæ sunt , & arcendæ ab illorum domibus : ita Sacra Congregatio Episcoporum 15. Februarii 1619. Sinistra suspitione cessante , licitum est Clericis ,

& à Jure concessum, in domo sua retinere rei domesticæ gratia, seu ob aliam honestam rationem, Matres, Avias, Materteras, Amittas, Sorores, Filias Fratrum, aut Sororum, aliasve stricto naturali foedere sanguinis conjunctas ex prædicto canone: alias etiam quæ fugiant suspicionem. Quapropter Glossa ad caput *Interdixit* 16. Dist. 31. verbo *ibi Idoneas personas* exemplificat in uxori- bus servorum suorum. Unde remittitur prudentiæ, & vigilantix Episcoporum, ut attenda ætate, qualitate, & morum honestate tam Clericorum, quam mulierum, seu famularum, eis concedant co- habitationem, prout eis melius in Do- mino expedire videbitur: & possunt Epif- copi de Jure prohibere Presbyteris, & Clericis, ne domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipso approbatæ, & absque sua licentia. Si tamen mulier sit Presby- tero, seu Clerico conjuncta in gradu consanguinitatis permisso, tunc non videtur imponenda necessitas licentiam ab Episcopo impetrandi, etiam si retinea- tur ut famula; ita censuit Sacra Con- gregatio Concilii 29. Februarii & 26. Martii 1694.

XXXIII.

De non rejiciendis Clericis, & de infirmanda ordinatione ejus, qui sine consensu Episcopi ab alio Episcopo ordinatus est.

Siquis in contemptu positus Presbyter, vel Diaconus, vel quicumque ex Clero recesserit ab Ecclesia, nullo modo in alia suscipiatur Ecclesia, sed omnino compellatur, ut ad suam revertatur Ecclesiam. Si autem permanserit in superbia, & reverti noluerit, excommunicetur, & projiciatur. Siquis autem Episcopus ausus fuerit in sua Ecclesia ordinare, non consentiente Episcopo suo, à quo recessit, ordinatio ejus vacua deputetur.



XXXIV.

De Clericis desertoribus.

Siquis Presbyter, aut Diaconus, aut aliquis de Clero propriam Ecclesiam derelinquens, ad alteram Ecclesiam vadit, & ibi multo tempore demoratur; omnino numquam ministret in Clero. Et si admonuerit eum Episcopus suus ut ad suam redeat Parochiam, & redire noluerit ubi est, ibi de suo officio deponatur; ita ut numquam in suo revertatur gradu propter dissolutionis peccatum. Si autem Episcopus alter illum susceperit, qui de reatu ejus est conscius; oportet, ipsum Episcopum sine increpatione in communi Concilio non admitti, ut Ecclesiasticum canonem ultra non solvat.

NOTA.

EX Can. 16. Concilii Nicæni, & 3. Concilii Antiocheni excerpti sunt isti. Adeo ordinatione sua alicui Ecclesie adscribebantur Clerici primis Eccle-

siæ sæculis, ut ad aliam transire, & in ea demorari, quin ad suam reverti vel-
lent à proprio Episcopo admoniti, ne-
fas summum foret, quo à communione
projicerentur. Eos minoribus Ordinibus
initiatos, & sic Ecclesiæ cuilibet de-
vinctos Episcopus Diœcesis, quo con-
fugeret, demorareturque, non consen-
tiente proprio Episcopo, ad alios Or-
dines promovere non poterat. Præter Ni-
cænum Concilium statuit etiam Sardi-
cense can. 18. *Nulli Episcopo liceat al-
terius civitatis hominem Ecclesiasticum,
in suis Parochiis ordinare Clericum ...
quicumque ex alia parochia voluerit alie-
num ministrum sine consensu Episcopi
ipsius, & sine voluntate ordinare, non
sit rata ordinatio.* Firmavit quoque Car-
thaginense III. can. 47. Mirum quidem
est quod in his canonibus prohibeantur
Episcopi ordinare Clericos alienos, &
vix umquam vitentur alterius Episcopi
ordinare laicos. Unde cum Quintianus
Presbyter Augustinum admoneret, ut
non juberet eos recipi, qui ab alia Ec-
clesia ad illius venerant Monasterium,
ut permaneret quod statutum fuerat in

Concilio Carthaginensi, respondit Sanctissimus Doctor: *Recense ergo Concilium, & omnia quæ ibi legeris, commenda memorie, & ibi etiam invenies, de solis Clericis fuisse statutum, non etiam de laicis, ut undecumque venientes non recipiantur in Monasterium. Non quia Monasterii facta mentio est; sed quia sic institutum est, ut Clericum alienum nemo recipiat.*

Plurima quidem sunt primis Ecclesiæ sæculis laicorum exempla ab Episcopo quolibet ordinatorum. Origenes cum propter Ecclesias Achajæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio literarum Demetrii Episcopi sui commendatitiarum Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto, & Alexandro Cæsareæ, & Hierosolymorum Episcopis Presbyter fuit ordinatus. Literæ, quibus Origenem Demetrius munierat, fidem ejus, & pietatem commendabant; sed de licentia, ut à quibus sibi libitum esset, Episcopis ordinaretur, nullum faciebant verbum. S. Hieronymus à Paulino Episcopo Antiocheno ordinatus est Antiochiæ, ubi nec natus erat, nec re-

natus per baptisma: nec dimissorias literas attulerat, cum ordines quosdam non ambiret, imo vehementer recusaret, ut testatur ipse ad Pamachium adversus errores Joannis Hierosolymitani. Laici vero sic ordinati Ordinatori Episcopo eo vinculo, & nexu mancipabantur, ut sine ejus licentia alio secedere non possent; modo tamen nulla vis in ordinatione facta esset. Erat quippe fas adversus vim contestandi, reclamandique, nequa hinc servitus ingereretur invitis: ut constat exemplo Paulini: *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesie non alliger in Sacerdotium Domini, non etiam in locum Ecclesie dedicatus.* Ita Ecclesie alicui, & Episcopo devinctos poterat Episcopus ipse aliis Episcopis commendare, & commendare, eis operas suas navaturos; poterat & ab una Dioecesis sue Ecclesia in alias transferre.

Quamvis Episcopi laicos quosdam alienae Dioecesis aliquando sibi ordinandos assumerent, suaeque Ecclesie illigerent, quos merita sua dignos praedicabant; plerumque in propria Dioecesi ori-

originem trahentes promovebant ; & proprio originis Episcopo plurimum auctoritatis erat. Proprius originis Episcopus veteri jure, & disciplina ille erat, in cujus Ecclesia quis fuerat baptizatus, licet aliunde esset oriundus. In Concilio Carthaginensi III. Epigonius Episcopus conquestus est de Juliano, quod suis manibus baptizatum puerum, impensius educatum, domicilio exceptum, Lectoris gradu donatum, Diaconum ordinasset, & triplici titulo sibi ereptum restitui petiit Clericum, nempe titulo baptismi, domicilii, ordinis, atque officii. Jure novo Episcopus proprius originis is est, in cujus Dioecesi quis natus est, sine cujus licentia nullus, sive laicus ordinari, sive Clericus ad superiores gradus promoveri potest. Discrimen erat. quod olim grandiores, & ætate provecti baptismi abluerentur ; unde contingebat sæpius, ut alius esset Episcopus originis carnalis, alius spiritualis regenerationis : & cum in ordinandis Clericis sola haberetur ratio anteaetæ vitæ post baptismum, & non ante illum, utpote quæ lavacro sacro fuerat deleta, satius erat ut ab eo ordi-

narentur Episcopo, qui testimonium christianæ vitæ, & morum exhiberet, & actæ post baptismum vitæ fuerat inspector, ac censor, quam qui de antea actis extra Ecclesiam gestis nihil pertinentibus scire aliquid potuisset.

A sæculo decimo exeunte originis carnalis Episcopo multo plus auctoritatis esse cœpit, quam antea. Concilium Ravennæ anno 997. ordinari prohibuit quemquam ex Diœcesanis alterius Episcopi sine ejus Dimissoriis literis; ait enim can. 3. *Nemo nostrum alterius Diœcesenses, vel Parochianos recipere, seu retinere præsumat sine canonicis Epistolis.* Clemens IV. anno 1190. ut nonnullorum Clericorum malo occurreret, qui Sacris Ordinibus indigni, suam patriam, in quâ de ipsis erat notitia, fugientes, se in remotis partibus promoveri faciebant, statuit ut nullus Episcoporum Italiæ de cetero aliquem ultramontanum Clericum ordinaret, nisi à Sede Apostolica specialem haberet licentiam, vel ab Episcopo, de cujus Diœcesi traxit originem, ordinandus, vel in ejus Diœcesi beneficiatus existit, per ejus *paten-*

tes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. Et Bonifacius VIII. anno 1299. quis esset proprius ordinationis Episcopus declaravit: Cum nullus Clericum parochiæ alienæ præter superioris ipsius licentiam debeat ordinare: superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem. Ita legitur in cap. 1. & 3. de Temp. Ordinat. in 6.

Tridentina denique Synodus sess. 23. cap. 8. de Reformat. statuit ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit

suspensus. At cap. 9. ejusdem sess. concessit Episcopis, ut familiares suos non subditos possent ordinare, si per triennium secum fuerint commorati, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illis conferrent.

Literæ illæ, quas hodie *Dimissorias* appellamus, quod per eas Clericus à suo proprio Episcopo dimittatur, ac libera concedatur ipsi facultas ab alio Episcopo ordinandi, vocantur etiam *Commendatiæ*, quod in iis Clerici mores, & vita commendentur: *Canonica*, quod canoni sint conformes: *Pacifica*, quod per eas pax, & concordia inter Episcopos conservetur: *Formata*, quod communionis catholice sint argumentum. Ex Concilio Tridentino sess. 7. de Reformat. cap. 10. *Reverendæ* dicuntur, præsertim ab Hispanis, nempe à salutatione, qua Episcopi se invicem *Reverendos*, & *Reverendissimos* appellant, & unde illæ incipiunt. Ab antiquis iis *Formatis*, & *Canonicis* literis plurimum discrepant. Cum enim tunc Episcopi Clericos ordinatione sibi manciparent, illos hujusmodi literis dimittentes cessione

quadam emancipabant, & jus omne suum in alium transfundebant Præsulem, cui Clerici deinceps adstringebantur. Ex Concilio Tridentino sess. 23. de Reformat. cap. 10. solis Episcopis datum est Dimissorias literas suis subditis concedere, quibuscumque in contrarium non obstantibus privilegiis. Nec Abbates, aliive, quamvis exempti, sæcularibus Clericis eas possunt concedere, sed illorum ordinatio ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertinet. Regularium superiores hoc modo possunt, quatenus sibi subditos Regulares ad Episcopum Diœcesanum ordinandos præsentant, vel ad alium Episcopum, si Diœcesanus sit abfuturus, nec ordinationes habiturus; dummodo nulla fraus sit, ut suorum ordinationem in tempus absentiae Episcopi Diœcesani, aut quo ipse non est Ordines habiturus, ex professo distulerint. Hæc dicta sunt, quin derogem, aut improbem aliquorum Ordinum privilegia post Tridentinum Concilium firmata, ut sui Regulares à quovis Episcopo possint ordinari; quales sunt Canonici Regulares Congregationis S. Cru-

198 VETUS CANONUM CODEX
cis Colimbriensis ex indulto Sanctissimi
Papæ Pii V. apud Monasterii S Crucis
archivum, & alii, quos in præsentia
prætermitto.

Supradicto canone Martini 33. va-
cua dicitur ordinatio facta ab extraneo
Episcopo, non consentiente proprio:
irritatio tamen ista non pertinet nisi ad
Ordinum executionem, ut loquitur Tri-
dentina Synodus supra allegata: & cum
in hoc jam dispensatum à plurimis fuisse
viderimus. Certum quippe est numquam
in Ecclesia dubitatum à Catholicis, quin
imprimatur character à Sacramento Or-
dinis, cum à legitimo Ministro juxta
formam à Christo præscriptam admini-
stratur, & in ordinatione duo posse, ac
debere distingui, substantiam nempe
ipsius, & functiones, seu usum, & ex-
ercitium Ordinis: potest enim valida
esse quoad substantiam ordinatio, cujus
tamen usus, seu exercitium ligatum sit
Ecclesiastica prohibitione.

XXXV.

De importunis Clericis.

Siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus excommunicatus, in Concilio injuste se queritur condemnatum, ad maius Episcoporum Concilium revertatur; & eorum inquisitionem, & iudicium spectans, si quas se iustas causas habere putat, exponat. Si autem contempserit, & importans se palatio, aures Principum inquietare voluerit; hic ad nullam veniam poterit pervenire; neque spem futuræ reconciliationis habebit.

NOTA.

EX Can. 12. Concilii Antiocheni desumpsit Martinus: & ex Martino Gratianus caus. 22. quæst. 1. c. 5. Antiocheni Patres, quos Ariana hæresis infecerat, adversus S. Athanasium canonem hunc ediderunt, quem illi in Concilio Tyrio damnaverant, & Sede Alexandrina per sententiam deposuerant;

& postea solus Imperator Constantinus Junior absque alterius Concilii maioris numeri Episcoporum sententia, & decreto ab exilio revocaverat, & pristinae Sedi Alexandrinae restituerat. Si credimus Socrati lib. 6. cap. 16. hic est ille canon, quem adversarii objecerant S. Joanni Chrystostomo, qui cum esset depositus in Concilio, postea contra praedictum canonem fuerat restitutus à Concilio, quod maioris numeri Episcoporum non erat. Sed Chrystostomi defensores reclamarunt objectum canonem ab Arianis fuisse sancitum. Si ab Arianis Antiocheni Concilii canones fuere sanciti, quare à Martino Bracarenfi viro Sanctissimo, aliisque collectoribus fuere recepti? Quae secundum Ecclesiasticam antiquitus traditam disciplinam ab eis ea in Synodo videbantur esse disposita, plane abjicienda non erant, sed ab ipsis tamquam injustis possessoribus vindicanda; & quae optima, & digna erant, ab Eusebianis in malum usum, nempe in Catholicorum persecutionem convertebantur. Ita Eminentissimus Annalium Parens ad annum 341.

Austerior sane hujus canonis disciplina erat, ut nullam assequeretur veniam, qui ex Episcoporum judicio injuste vexatus ad Imperatorem recurret liberandus. Quid dignius, æquiusve Ecclesiasticis viris de sententia contra juris ordinem lata, de vi manifesta, de notoria canonum oppressione recurrere ad Reges, qui canonum tutores sunt, & custodes, nec non Ecclesiæ defensores? Hinc S. Leo Papa Epist. 81. ad Leonem Imperatorem adloquitur: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas.* Sic Athanasius in Synodo Tyria damnatus ad Constantinum Imperatorem recurrit. Athanasius doctrina, & sanctitate insignis Ecclesiasticam disciplinam, cujus tanto zelo erat accensus, violare noluiisset, si id non liceret. Sic apud Magnum P. Augustinum in Epist. 185. Maximianus Episcopus Vagiensis pro tuenda Ecclesia sua adversus Donatistas

Cæsarem provocavit. Sic Leo Magnus Theodosii Junioris auxilium imploravit, ut Latrocinii Ephesini acta rescinderet, aut suspenderet, donec Eutychetis, Flavianique causa, nec non Dioscori violentum judicium in Synodo numerosiori posset expendi. Quamplurima alia Sanctorum Antistitum exempla missa facio, quæ referre longum esset, & in Ecclesiæ annalibus referuntur.

XXXVI.

De purganda opinione hæresis.

Siquis Episcopus, sive alicujus Episcopi Presbyter, aut Diaconus in alicujus hæresis opinionem offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus Episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in communi concilio, porrecto Fidei sue libello, satisfaciat omnibus, & ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem & de Fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam hæresis opinionem fuerint nominati.

N O T A.

Canonem 8. Concilii Nicæni ob oculos habuit Martinus: ac ex Martino collegit Gratianus caus. 1. quæst. 7. c. 22. Nicæno can. statutum erat, ut Novatiani ad Ecclesiam redeuntes manuum impositione reconciliarentur, & si Clerici in sua secta essent ordinati, in Clericatu manerent, modo in scriptis profiterentur, quod Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata susciperent, & sequerentur. Eadem œconomia (ut passim testatur Mag. P. Augustinus) usa est Ecclesia erga Donatistas ad Ecclesiam ipsam redeuntes, quos ad communionem absque pœnitentiæ publicæ onere suscepit, & in Sacerdotii, & Episcopatus gradu, & honore manere concessit. Aliud decreverat Cyprianus lib. 2. Epist. 1. Si Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius fuerant ordinati, & postmodum perfidi, ac rebelles contra Ecclesiam steterunt, vel apud Hæreticos à Pseudo Episcopis, & Antichristis contra Christi dispositionem or-

dinatione fuerunt promoti, reversi ad Ecclesiam ea conditione suscipiebantur, ut *communicarent laici, nec ordinationis, & honoris arma retinerent*; sed satis habebant quod ad pacem admitterentur, qui pacis hostes extiterant.

Antiquissima igitur est, & ab Ecclesiae incunabulis excommunicationis poena adversus hæreticos, quos semper illa à sinu suo ejecit una Christi sponsa sine macula, & sine ruga. Excommunicationem maiorem latae sententiae decrevit Lateranense Concilium cap. 15. de Hæreticis: ea autem inter censuras Apostolicæ Sedi reservatas numeratur. Quamvis Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformat. cap. 6. concesserit Episcopis facultatem absolvendi in foro conscientiae ab hæresi occulta; tali tamen Decreto derogatum esse per Bullam Cœnæ respondit pluries Sacra Congregatio ejusdem Concilii, & signanter 28. Februarii 1602. & clarissime constat ex Decreto Alexandri VII. anno 1695. die 24. Septembris hanc propositionem in ordine tertiam damnantis: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere ab-*

soluionem heresis. & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, tolerata est.

Hæretici sunt revelandi, ac denunciandi Inquisitoribus Fidei in S. Officio Inquisitionis deputatis, sub pœna excommunicationis: ex Innocentii IV. Constitut. incipiente *Noverit*. Imo evidenter cogniti tales sunt denunciandi, quamvis probari non possint: Alexander enim VII. die 7. Septembris anno 1665. inter alias damnavit hanc propositionem ordine quintam: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* Præter excommunicationis pœnam, & irregularitatis, quam subeunt hæretici, temporales etiam incurrunt, bonorum confiscationem, infamiam, exilium, carcerem, & ipsam mortem usque ad combustionem, si relapsi sunt, aut impenitentes. Principes, Potestates, & Judices sæculares nullo modo possunt se immiscere in processum à Sacris Inquisitoribus contra Hæreticos instituendum, vel institutum, sed debent absque dilatione

exequi sanctissimi, ac rectissimi Tribunalis sententiam: est textus expressus in cap. *Ut Inquisitionis* 18. de Hæreticis in 6. & Constitutio Innocentii VIII. quæ incipit *Dilectus*: ubi præcipit, ut Iudices sæculares sine ulla visione processus ab Sancto Officio facti exequantur sententiam sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda.

XXXVII.

De Clericis excommunicatis.

Siquis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, sive Presbyter, sive Diaconus, facere oblationem, vel Matutinum, vel Vespertinum Sacrificium; quasi in officio suo agere, sicut prius, non liceat ei, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, nec ultra recolligi; sed etiam eos, qui ei communicaverint, omnes ab Ecclesia respui, maxime eos, qui sciebant eum esse delectum. Si autem permanserit turbans, & concitans Ecclesiam, per forasticam potestatem, oportet eum sicut seditonarium ab omni plebe expelli.

N O T A.

EX Can. 4. Concilii Antiocheni e-
 formatus est iste, in quo excom-
 municatis Clericis in rebus sacris, sicut
 ante excommunicationem, ministrare in-
 hibetur. Iis quidem est vetitum offerre
 Sacrificium, Matutinum, & Vesperti-
 num agere Officium, sicut antea, id est
 publice in Ecclesia: privatim enim pos-
 sunt orare, imo & tenentur privatim re-
 citare Horas canonicas, si ad ipsas vi Or-
 dinis, vel Beneficii, vel Professionis Re-
 ligiosæ tenentur; tum quia nemo ex con-
 tumacia sua commodum reportare de-
 bet, tum quia præcipue nullibi in Jure
 ab hoc onere eximuntur. Unde non est
 eadem in Sacerdotibus Horarum ratio,
 quæ administrationis Sacramentorum:
 ab hac excusatur, quia non potest eo,
 quo decet, modo sancta tractare; ab
 illis vero liber non manet, qui utiliter
 potest orare, cui nec dum sanctiores
 ministerii partes obire licet.

Hic excommunicationis nomine illa
 venit, quæ olim *Mortalis*, & vulgo

Anathema dicebatur, hodie vero *Maiorem* dicimus. Primus hujus effectus erat à corpore Ecclesiæ separari, quod à Christiano viro formidandum, ait Augustinus Tract. 27. in Joannem: hinc sequebatur excludi, & privari excommunicatum omni jure, quod illi erat, ut Ecclesiæ membro: ad publicas preces, divinaque officia solis fidelibus, & Ecclesiæ filiis patentia non admittebantur, ab Ordinum, Beneficiorumque functionibus excludebantur. Qui ita excommunicato communicabant exprædicto canone, & aliis, eodem penitus excommunicationis vinculo ligabantur, quomodo nunc communicantes in crimine: veteribus enim plane erat incognita hæc, quæ hodie dicitur excommunicatio minor, & ex communi Theologorum, ac Canonistarum sententia contrahitur propter cõmunicationem cum illigato maiori excommunicatione extra crimen, propter quod excommunicari ille meruit; privatque sola passiva Sacramentorum perceptione.

Hæc circa sæculum decimum tertium forsan inducta est; nec antiquo in
Jure

Jure canon profertur, aut decretum hujusmodi minoris excommunicationis mentionem faciens, quam cap. final de Clerico excommunicato, & cap. penult. de sententia excommunicat. Auctore Gregorio IX. anno 1237. Minorem aliam excommunicationem agnoverunt Patres, cujus quatuor gradus apud eos erant frequentissimi. Primus peccatores à sola Eucharistiæ perceptione excommunicabat: secundus priore gravior ab Eucharistia, & precibus Eucharisticis: tertius duobus his gradibus addebat expulsionem à precibus super catechumenos, & poenitentes subtractos factis: quartus ab omni Ecclesiæ ingressu eos submovebat. Unde quatuor erant excommunicatorum minori excommunicatione gradus: Consistentes, Subtracti, Audientes, Flentes: qui omnes maxima excommunicatione jam soluti erant, & in gratiam cum Ecclesia redire cœperant. Ita Morinus lib. 6. de Poenit. cap. 26. n. 13. Quamvis hæc à communione separationes ætate ista excommunicationis nomine non veniant, certum tamen est olim etiam ita fuisse appellatas. Hinc est quam

procul à sensu, & mente canonum aberrarent ii, qui nulla habita ratione phrasibus, quâ veteres vocem *Excommunicationem* assumebant, credunt semper juxta recentem illius significationem esse accipiendam omnibus in locis, quibus vox ista occurrit. Itaque inspecta recentis Ecclesiæ disciplina, & loquendi forma sola excommunicatio maior, sive mortalis, nomine excommunicationis intelligitur, nec alia pene nota est, ut ipse Gregorius IX. declaravit cap. penult. de Sententia excommunicationis.

XXXVIII.

De Presbyteris, ut in secundis nuptiis non vadant.

P Resbyterum ad secundas nuptias convivam fieri non oportet, propterea quod hi, qui ad secundas nuptias veniunt, pœnitentiam postulant. *Quomodo potest Presbyter esse, qui propter convivium interest tali conjugio?*

N O T A.

Statutum id erat can. 7. Concilii Neocæsariensis; non quod secundæ nuptiæ illicitæ, & per se malæ forent, ut inter veteres hæreticos sensere Montanistæ, quibus se adscripsit Tertullianus, referente Mag. P. Augustino lib. de Hæresibus cap. 26. & Novatiani, teste Theodoro lib. 3. Hæreticar. fabul. cap. 5. sed quod secundis nuptiis pœnitentia ex veteri disciplina tribueretur. Equidem Ecclesia secundas, & ulteriores nuptias generatim, nec suasit unquam, nec ex voto probavit; exoptabat tamen ut ab iis fideles abstinerent. S. Hieronymus in suis adversus Jovinianum libris cum castitatem, & continentiam tot laudibus evexisset, ut nuptiarum sanctitatem vellicare nonnullis videretur, seipsum veluti in hac re ab omni erroris suspitione liberare compulsus est, scripsitque Epistolam ad Pamachium, quæ est Apologia librorum adversus Jovinianum, & inquit cap. 7. *Ego nunc libera voce proclamo non damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & ul.*

tra, quomodo & secundo marito, nubere: sed quomodo non damnantur istae nuptiae, ita nec praedicantur. Solutio miseriae sunt, non laudes continentiae. omnia licent, sed non omnia expediunt. Non damno digamos, imo nec trigamos & si dici potest, octogamos: habeat, cui libet, octavum maritum, & esse desinat prostituta. Quamvis Ecclesia secundas nuptias, ut minus perfectas habuerit ex citatis canonibus, nusquam eas pro noxiis, ac ex se illicitis iudicavit, & multo minus pro nullis, & irritis. Apostolus quippe ad Romanos 7. v. 2. & 3. ait: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Omissis tot Sanctorum Patrum hac de re testimoniis, sufficiat Eugenii IV. Summi Pontificis auctoritatem adducere in Decreto pro instructione Armenorum, ubi sic loquitur: „ Quoniam non-
„ nullos asseritur quartas nuptias ref-

„ puere ; ne peccatum , ubi non est ,
 „ esse putetur , cum secundum Apосто-
 „ lum , mortuo viro , mulier sit ab ejus
 „ lege soluta , & nubendi cui vult in
 „ Domino habeat facultatem , nec di-
 „ stinguat , mortuo primo , vel secundo ,
 „ vel tertio : declaramus non solum se-
 „ cundas , sed etiam tertias , & quartas ,
 „ atque ulteriores , si aliquod canoni-
 „ cum impedimentum non obstet , licite
 „ contrahi posse. Commendatiores ta-
 „ men dicimus , si ulterius à conjugii ab-
 „ stinens in castitate permanserint ; quia
 „ sicut viduitati virginitatem , ita nuptiis
 „ castam viduitatem laude , ac merito
 „ præferendam esse censemus , „

XXXIX.

*De his , qui ad Diaconatum
 eliguntur.*

Siquis ad ministerium Diaconatus eli-
 gitur , si contestatus fuerit pro acci-
 piendo matrimonio , & dixerit non posse
 in castitate permanere , hic non ordina-
 tur. Quod si in ordinatione tacuerit , &

NOTA.

CAnonem 9. Ancyranum aspexit Martinus, ejus sententiam mutavit, & Latinæ Ecclesiæ, suæque provinciae disciplinæ accommodavit: nam Ancyrani Patres decreverant, ut si Diaconus in ordinatione contestaretur se in castitate permanere non posse, Diaconatum susceperet: Martinus vero id reprobavit, & statuit, ut non ordinetur. Sic per Hispanias, sic in Occidentali Ecclesia erat stabilitum, ut jam dictum est. Conjectio Bracarensem Antistitem ob oculos etiam habuisse canonem 3. Concilii Arelatensis II. *Præterea placuit, ut non ordinentur Diaconi, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem.* An Martini tempore matrimonium à Diacono contractum esset invalidum, & nullum apud Hispanos, aut tantum illicitum sub pœna suspensionis à Clero, & ministerio? quidquam cer-

tum proferre non audeo. Ab Alexandri III. tempore Diaconatus matrimonium dirimebat, nullumque reddebat ex cap. *Diaconus I.* Qui Clerici, vel voventes, cap. *Siqui Clericorum* de Clericis conjugatis, & expresse definivit Tridentina Synodus sess. 24. de Matrimonio can. 9. *Siquis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto ... anathema sit.*

XL.

De eo, quod non liceat Diaconum non iustum sedere.

Non licet Diaconum ante Presbyterum sedere, nisi cum iussione Presbyteri.

NOTA.

EX Can. 20. Concilii Laodicensi hunc exscripsit Martinus. Diaconatus licet in Ecclesia semper Ordo esset sacer, hierarchicus, & Sacramentum; ad hoc

nati sunt Diaconi, ut Sacerdotibus in suis obeundis officiis subserviant: sicut Sacerdotium novum veteri successit, ita Diaconorum ministerium ministerio Levitarum, ut ait Hieronymus in Epist. ad Euagrium, seu Evangelium. Aliquando modestiæ, ac ordinis sui fines prætergressi sunt, & sese audacius supra Presbyteros efficere visi sunt. Presbyteris gratiam sacræ communionis porrigebant, quod in Concilio Nicæno can. 18. iis fuit prohibitum, utpote Ecclesiæ consuetudini, & canoni contrarium: administrationem baptismi, Eucharistiæ, & populo benedicere sine Presbyteri, & Episcopi jussu sibi arrogarunt; & quod magis est, Sacrificium offerre ausi sunt intolerabili abusu. Repressi & in ordinem suum redacti fuere à Concilio Carthaginensi IV. & Arelatensi II. *Diaconus ita se Presbyteri, ut Episcopi, ministrum noverit*, ait Concilium Carthaginense can. 37. Inter Presbyteros absque eorum jussu sedebant, qui stare debebant, ut statutum est canone prædicto Laodiceo, & Nicæno 18. Unde Hieronymus ad Euagrium eos reprehendit: *In Eccle-*

sia Romana Presbyteri sedent, & stant Diaconi; licet paulatim increbescantibus vitiis inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, & domesticis convivii benedictiones Presbyteris dare.

Hujus audaciæ causas si postules, audi Hieronymum allegatum: *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba cōtemptibiles facit.* Erant enim in celebrioribus Ecclesiis, Romana præsertim, numero tantum decem. Ita Cornelius apud Eusebium lib. 6. Hist. cap. 35. & can. 14. Concilii Neocæsariensis, ut sacratus ab Apostolis Diaconorum numerus observaretur. Etiam quod ad Diaconi testimonium Romæ Presbyter ordinaretur, ut testatur Hieronymus ibidem: *Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi proferis unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ, vindicas? Denique alia superbiendi ratio fuit auctoritas, gratia, & accessus assiduus Diaconorum apud Episcopos, quorum oculi, aures, & manus vocabantur; quod nempe ali-*

quam eorum jurisdictionem exercerent, ac per illos dumtaxat Presbyteris esset aditus ad Episcopos: afflictorum causam pro Episcopis habebant, Ecclesiae thesauros dispensabant, carceres, in quibus Martyres erant, circuibant, singulorum vota, & desideria explorabant, ad Episcoposque suos deferebant: quod in pluribus Epistolis testatur Cyprianus. Ex eodem S. Doctore Epist. 13. *apud Diaconum exomologesim facere delicti sui poterant poenitentes*, si urgere exitus inciperet, ut ad Dominum irent cum pace; id est, poenitentes Ecclesiae, urgente necessitate, Diaconi reconciliabant, eam manus utentes impositione, quae tantum caeremonia, & oratio esset, ut poenitentes ad suscipiendam Eucharistiam praepararentur, & in fidelium orationibus partem haberent, sed non ea, qua Episcopus, aut Presbyter utitur in conferendo poenitentiae Sacramento, quod conferre numquam potuere Diaconi; cum solis Presbyteris dixisset Christus Joannis 20. v. 21. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

XLI.

De eo, quod non liceat quemlibet ministeria tangere.

Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolyto in secretario tangere vasa Dominica.

NOTA

EX Can. 10. Concilii Bracarenfis II. sive apud alios I. exscripsit Martinus: ac ex Martino desumpsit Gratianus Dist. 23. c. 32. In Concilio Laodiceno can. 21. Subdiaconis vetitum est, ne in secretarium intrarent, & ne sacra vasa contrectarent. Acolytorum primis Ecclesie sæculis fuit munus deferre Ecclesiasticas Episcoporum ad Episcopos litteras, quibus Ecclesie gravissimis de rebus inter se consultabant: sæpe in suis Epistolis Cyprianus Acolytis id muneris tribuit; quibus necessaria præ ceteris erat fides firma, silentiique constantia, eo sane tempore, quo insidiabantur undi-

que Ethnici, ut Sanctissimæ Religionis mysteria profanarent : iis demum concessum est ad altare propius accedere, & sacra vasa Corpore, & Sanguine Domini vacua contingere, sicut Subdiaconis erat indultum in Ecclesia Latina. Postea Callistus III. & Sixtus IV. Pontifices Maximi concessere omnibus Religiosis etiam laicis, præsertim ad servitium Missarum, & Sacristiæ deputatis, ut licite vasa sacra Sacramento vacua possent tangere. Tanta semper fuit erga vasa sacra reverentia, ut ea ad usus profanos convertens, si est laicus, excommunicetur, & si sit Ecclesiasticus, etiam ab officio deponatur; ex Concilio Bracarenensi III. can. 2. & Mediolanensi I. P. 2. de Ecclesiis.

Secretarii nomen apud Scriptores Ecclesiasticos plura complectitur, aliquando Sanctuarium, sive locum sanctissimum, & penitissimum Ecclesiæ, in cuius medio situm erat sub tabernaculo altare primarium, in quo Sacerdos sacrum faciens stabat facie conversa ad populum. Hoc tamen loco, & canone conclave significat, in quo vasa sacra, & alia ad

sacrificium spectantia, omnisque ad templum, & ornatum pertinens suppellex allervatur. Græci *Diaconicon*, *Scevo-phylacion*, *Pestophorion*, ut Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 24. fuse ostendit, appellant: nos vero *Vestiarium* & barbara voce *Sacristiam* dicimus. Tanti ponderis erat Scevo-phylacis, aut Sacristæ dignitas, ut Presbyteris commendaretur, aut Diaconis proVectis ætate, & pietate proVectioribus. De Presbyteris constat, quod Macedonius Euphemii Patriarchæ Constantinopolitani successor, Presbyter, & Sacrista erat maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ. De Diaconis, ait Isidorus lib. 2. de Eccles. officiis cap. 9. *Custodes sacrorum Levitæ sunt ... quique ab anno quinquagesimo eliguntur.*

XLII.

Ut mulieres in sacrario non intrent.

Non licet mulieres in sacrario ingredi.

NOTA.

ITa in can. 44. Concilii Laodicensis Mulieres in templis à viris vetustissima consuetudine segregatas disertissimus antiquissimus Auctor Apostolicarum Constitutionum lib. 2. cap. 57. ubi mulieres separatim a viris sedere jubet, & Diaconissarum officium fuisse ait, ut custodirent mulierum introitum. *Fanitores stem ad introitum virorum, Diaconissæ vero ad mulierum custodiendi causa.* Idem scripsit Cyrillus Jerosolymitanus Episcopus in Præfatione Catecheseon n. 7. Ad Sacrarium accedere numquam iis licuit. Sacrarium, sive Sanctuarium undique per circuitum cancellis sepiebatur, quorum mentio fit in antiquis Ecclesiæ Synodis, & apud Ecclesiasticos Scriptores. Concilii Chalcedonensis Patres actione 1. meminerunt cancellorum, ubi tradunt magnificos, & gloriosissimos Judices, & Senatores Synodo interfuisse, atque in medio confedissee inter cancellos sanctissimi altaris. Velo quoque anteriori operiebatur sanctuarium, ne omni po-

LUSIT. ECCLES. CAN. XLIII. & XLIV. 223
pulo esset conspicuum : ex Gregorio Ma-
gno in Epistola ad Constantiam Augu-
stam.

LXIII.

Si Lector alterius viduam du-
xerit.

Lector si viduam alterius uxorem
acceperit, in Lectoratu permaneat,
aut si forte necessitas sit, Subdiaconus
fiat; nihil autem supra, similiter & si
Bigamus fuerit.

XLIV.

Si Subdiaconus secundam du-
xerit uxorem,

Si Subdiaconus secundam duxerit uxo-
rem, inter Lectores, vel Osiarios
habeatur, ita ut Apostolum non legat.



71
rw
van
s-
i

Ande la
via subdia-
cony & mi-
nistrii ime-
ritante ac ill-
tas, come autry-
e tody or de
Eoje emque
et subdiaconis
e dem de peren-
ta o subdia-
nato la tido
por tua oroni
a loca cano-
vato de prope-
tua legte

N O T A.

EX Canonibus 3. & 4. Concilii Toletani I. suos congeffit Martinus : & ex Martino Gratianus Dist. 24. c. 17. & 78. Unde circa Subdiaconorum continentiam inter Hispanos disciplina vetus fit palam. Non una quidem, sed varia fuit Hispanis. Concilium Eliberitanum can. 33. Subdiaconis perinde ac Episcopis, Presbyteris, & Diaconis jubet ut continentiam fervent ab uxoribus. Concilium vero Toletanum I. can. 1. nulla de Subdiaconis facta mentione, solos Presbyteros, ac Diaconos jussit ab uxoribus abstinere, imo can. 4. Subdiaconis tantum secundas nuptias videtur inhibere, & non primas. Toletanum VIII. can. 6. eos reprimit Subdiaconos, qui post ordinationem uxores sibi adsumebant eo pretextu, quod in ordinatione sua Episcopi benedictionem se percepisse ignorarent. De Lectoribus, ceterisque minoribus Clericis sunt qui dicant ex can. 33. Eliberitani Concilii, in Ecclesia Hispana eos ab uxoribus pariter abstinere debuisse; quippe

quippe non solum de Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, sed etiam inquit de omnibus Clericis in ministerio constitis. Quidquid sit Eliberitani tempore. Ex canone Toletano supra allegato certum est Lectores, & Ostiarios nuptias contraxisse, nec fuisse ab uxorum contubernio prohibitos. Ex ultima, ac præfenti Ecclesiæ disciplina inferiores Clerici possunt, si voluerint, uxores ducere; verum si duxerint, Alexander III. Summus Pontifex cap. 1. de Clericis conjugatis, eos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica compellit, & Innocentius III. cap. 7. eod. tit. ait: *Clericum uxoratum non posse gaudere privilegio Clericali.*

XLV.

Ut non ascendat in pulpitem nisi Lector.

Non liceat in pulpito psallere, nisi qui ab Episcopo Lector est ordinatus.

P

*Flavia Subdiacony,
qui ministris non
in serviebant, canon
coms or de mens-
ry, episcopo asy
nas con em ob-
saro. a lei da
Continencia e
podes caros or
or At. Zaelario
no seu tratado, a
justificacao sobre
a Culibato Laro*

NOTA.

Idem erat iudicium Patrum Laodicenorum can. 15. & 16. Unde notum est inter varia Lectorum officia præcipuum fuisse munus Scripturas Sacras publice in Ecclesiæ loco legere, & recitare: quam obrem ait Sozomenus lib. 5. Historiarum cap. 2. Julianum, & Gallum Constantini filios ex regia Constantis familia oriundos, ab humaniorum artium magistris, & à doctioribus sacrarum literarum ita fuisse eruditos, ut in Clerum adscriberentur & Ecclesiasticos libros populo perlegerent. Idem in Ecclesia Latina servabatur, ut Lectores non modo ceteras Sacras Scripturas, sed & ipsum Euangelium inter Sacra, & in ipso Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificio è suggestu legerent: quod ait Cyprianus in Epist. 33. de Aurelio Lectore: & in Epist. 34. agens de Celerino Lectore ordinato ait: illum *super pulpitu*m id est *tribunal Ecclesiæ* oportuisse imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus legeret

præcepta, & Euangelium Domini. Nec propterea Lector potest ad populum habere concionem exponendo ei, quæ legit ex Scripturis, sed solum alta voce potest populis Scripturas Sacras perlegere, & recitare, nec ex se, seu ex sua mente, & ingenio dicere, sed ex libro fideliter legere. Juxta veterem disciplinam Episcopo concionem ad populum habituro stabat Lector toti populo conspicuus, de pulpito legebat præscriptam ab Episcopo Euangelii. vel alterius libri sacri partem, quam deinceps Episcopus ipse Christianis exponebat. Martini canonem collegit Gratianus Dist. 92. c. 3.

XLVI.

*De conditionalibus in ordinādis,
nisi cum consensu patrono-
rum.*

Siquis obligatus est tributo servili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cujuslibet domus, non est ordinandus Clericus, nisi probandæ vitæ fuerit, & patroni consensus accesserit.

N O T A.

ITa in Can. 10. Concilii Toletani 1. ac ex Martino collegit Gratianus Dist. 54. c. 7. Nihil magis obvium, & perspicuum est, quam servitatem cum Sacerdotio, & ministerio sacro non posse copulari; abrumpi necesse est omnia vincula, ut quis Ecclesiæ deserviat. Onesimus quidem ab Apostolo Paulo in Epistola ad Philemonem ex servo Episcopus est ordinatus, sed de domini sui Philemonis consilio, & cōsensu. Hæc servis ab Ecclesia statuta est irregularitas non alia ratione, nisi ut domini suo in servos jure non possent fraudari. Leo Papa in Epist. 1. ad omnes Episcopos apud Gratianum Dist. 54. cap. 21. ait: *Admittuntur ad ordinem sacrum ... qui à dominis suis libertatem consequi minime potuerunt ... ab his itaque, fratres charissimi, omnes vestræ provincie Sacerdotes, & non tantum ab his, sed etiam ab aliis originariis, vel qui alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari. Qui manumit-*

tebantur, non plenam illi semper statim libertatem consequerentur à dominis, sed nexibus adhuc quibusdam liberti patrono obligabantur: idcirco eos irregulares censuit Cōcilium Eliberitanū can. 8. nisi eorum patronus Clericus esset. In Ecclesia Gallicana Concilium Aurelianense I. decrevit can. 8. *Ut si servus, absente, aut nesciente domino, & Episcopo sciente quod servus sit, Diaconus, aut Presbyter fuerit ordinatus; ipso in Clericatus officio permanente, Episcopus eum domino duplici satisfactione compenset. Sin vero Episcopus eum servum esse nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint ordinari, simili retributione teneantur obnoxii.* Justinianus Imperator Novella 123. de Sanctissimis Episcopis constituit, ut servus, si sciente, & non contradicente domino, in Clero esset ordinatus, ex hoc ipso liber, & ingenuus esset, si vero ignorante domino, ordinatio fieret, liceret domino intra spatium unius anni, & servilem fortunam probare, & suum servum recipere. Si vero servus, sciente domino, sive insciente, eo quod in Clero

230 VETUS CANONUM CODEX
est constitutus, liber factus Ecclesiasticum
ministerium relinqueret, & ad saecularem
transiret vitam, suo domino ad servi-
tium traderetur. In Hispania ex Conci-
lio Toletano IX. can. 11. poterat Epif-
copus servos Ecclesiae libertate donare,
& tum ordinare: si duplicato hoc bene-
ficio ad eximia quaedam virtutis incre-
menta excitarentur, ad ordines superio-
res vocabantur; si ea gratiarum largi-
tate abuterentur, bono spoliabantur,
quo peiores fiebant.

XLVII.

*De non suscipiendis servis a-
lienis.*

Siquis servum alienum causa religio-
nis doceat contemnere dominum suum,
& recedere à servitio ejus; durissime in
omnibus arguatur.

NOTA.

Sic in Can. 3. Concilii Gangrensis sta-
tutum fuerat, unde collegit Marti-
nus: *Siquis servum alienum occasione
religionis doceat dominum suum debere*

contemnere, & ejus ministerium destituere, ac potius non docuerit eum suo domino bona fide, & cum omni honorificentia deservire, anathema sit: ex Martino exscripsit Gratianus caus. 7. quæst. 4. Servi enim à suis dominis abscedere comperiebantur, & religionem præferentes eos habebant in contemptu, quasi hominis servus, & Christi libertus quis unus simul esse non posset, contra Apostolum ad Galat. 3. v. 28. *Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber ... omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Hinc est quod si inter servos matrimonia (quæ causa est religionis) contrahantur, invitis dominis, his debita, & consueta servitia debeant exhiberi: ex cap. *Dignum* 1. de Conjugio servor. Verum aliquando religionis causa servis ab Ecclesiastico Jure conceditur à sui domini servitio recedere, si iste sit religionis hostis. Concilium enim Matisconense in cap. *Præsenti* 1. de Judæis statuit ut *nullum Christianum mancipium Judæo serviat, sed datis duodecim solidis pro quolibet bono mancipio ipsum quicumque Christianorum, seu ad ingenuitatem, seu*

ad servitium licentiam habeat redimendi; et si Christianus fieri desideret, idem fiat. Etiam Gregorius Magnus lib. 3. Ep. 21. ad Lucensem Episcopum ait: Nulli Judo liceat Christianum mancipium in suo dominio retinere; sed si qui apud eos inveniuntur, libertas eis servetur. Idem statuit Concilium Toletanum XII. cap. 9. Etsi Judeorum servi, nec dum adhuc conversi, ad Christi gratiam convalescerint, libertate donentur.

XLVIII.

*De non celebrandis Natalitiis
Martyrum in Quadrage-
sima.*

Non liceat in Quadragesima Natales Martyrum celebrare, sed tantum Sabbato, & Dominico, pro commemoratione eorum oblationes offerri; sed nec Natalitia, neque nuptias liceat in Quadragesima celebrare.

N O T A.

EX canonibus 51. & 52. Concilii Laodicensi compilavit Martinus. Festivitates Martyrum Quadragesimali tempore celebrari interdicebantur, præterquam in Sabbato, & die Dominico. Festivitarum istarum dies erant lætitiæ: ad Martyria, sive Martyrum templa, aut loca, in quibus fuerant sepulti, egrediebantur fideles, conventus agebant suos, Martyrum passiones legebant, orationem panegyricam in eorum laudem addebant, quarum orationum sexcenta exempla habemus in Patribus, Chrysostomo, Nazianzeno, Nysseno, Augustino, Ambrosio, Leone, Chrysologo, & aliis. Hic scopus, & finis erat istarum solemnitarum, & conventuum, qui agebantur, ut debitum honorem, ac reverentiam Martyrum memoriæ exhiberent, & semetipsos ad imitanda eorum illustria exempla excitarentur. Hæc omnia cum profunda humiliatione, & luctu, ad exactum, severumque Quadragesimale jejunium requisito, consistere non poterant.

Dies autem Sabbati, & Dominicus jejuniis exempti erant in ipsa Quadragesima. De die Dominico apud omnes Patres est certum quod maxime. Tertullianus de Corona militum cap. 3. ait: *Die Dominico jejunium nefas ducimus.* Ambrosius in Epist. 83. damnat Manichæos, quod die Dominico jejunarent; quia id erat in Resurrectionem Christi non credere, quod etiam notatur à Mag. P. Augustino Epist. 86. ad Casulanum: Leoque Magnus in Epist. ad Turibium cap. 4. Priscillianistas ob eandem consuetudinem damnat.

De jejuniis in Sabbato alia incedunt via. Græcos in sua Ecclesia non jejunasse propter significandam requiem, qua Deus in primis operibus mundi requievit ab omnibus operibus suis, affirmant omnes: inter Latinos sunt viri quidam docti, qui initio in Ecclesia Romana Sabbati id jejunium obtinuisse existimant. Albaspinæus observat. lib. 1. cap. 13. ita manifeste opponitur, ut Ecclesiam Romanam initio Sabbatum festa celebritate coluisse existimet, jejuniumque interdixisse. Quomocumque id sit; Pa-

tres Concilii Eliberitani can. 26. legem de jejunio Sabbati primam in Hispaniis induxisse videntur. Mediolani non longe à Roma, antiquus mos agendi Sabbatum festum adhuc obtinebat tempore Ambrosii, qui de Elia, & jejunio cap. 10. ait: *Quadragesima totis præter Sabbatum, & Dominicam jejunatur diebus:* & ab Augustino adhuc catechumeno Mediolani interrogatus respondit: *Quãdo hic sum non jejuno Sabbato; quando sum Romæ, jejuno Sabbato.* Augustinus in Epist. 86. ad Casulanum de Africana Ecclesia inquit: *Contingit maxime in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesie alios habeant Sabbato prædentes, alios jejunantes.* Concilium Agathense in Gallia Narbonensi anno 505. can. 12. statuit, ut omni Quadragesimæ Sabbato Ecclesie filii jejunarent.

Quia etiam Quadragesimæ tempus jejunio, & poenitentiae erat destinatum, nuptiae, & natalitia in illo celebrari prohibentur: non solum Martyrum natalitia, ut dictum est supra, sed privatorum hominum natales dies, qui cum magnis, ac solemnibus lætitiæ signis, cum

festivitate, aliisque jucunditatis, & oblationis cæremoniis celebrari consueverant. Cum varia esset in variis Ecclesiis circa jejuniorum tempora disciplina, erat quoque circa tempus clausum, sive feriatum, quo nuptiarum celebratio interdicebatur, varia disciplina; nam hæc illi fere correspondebat. Ast Synodus Tridentina sess. 24. de Reformat. Matrimon. cap. 10. eam Ecclesiarum varietatem ad uniformitatem reduxit, ac decrevit: *Ab Adventu Domini nostri Jesus Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.* Et can. 11. ejusdem sess. 24. *Siquis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus suspensionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.* Tempus istud feriatum impedit quidem matrimonium contrahen-

dum, sed non irritat jam contractum, unde quamvis id temporis licite contrahi nequeat, potest tamen valide.

XLIX.

Non suscipi debere infantes ad baptismum, nisi ante tres septimanas Paschæ.

Non liceat ante duas septimanas Paschæ, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem. Oportet autem in ipsis diebus, ut hi, qui baptizandi sunt, Symbolum discant, & quinta feria novissimæ septimanæ Episcopo, vel Presbytero reddant.

NOTA.

CAnones 45. & 46. Concilii Laodicensi in unum collegit Martinus: ac ex Martino accepit Gratianus Dist. 4. de consecrat. cap. 59. Qui ex catechumenis baptismalis gratiæ participes esse cupiebant, ante Pascha aliquot diebus ta-

bulis Ecclesiasticis inscribendum nomen suum dabant, ut videre est apud Sanctos Patres, qui dandi nominis ante baptismum sæpe meminerunt. Inter quos de se ipso loquitur Augustinus lib. 9. Confessionum: *Ubi autem tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus.* Circa id varia erat Ecclesiarum disciplina. In Africa dabant catechumeni ante Symboli traditionem, id est, duabus, tribusve hebdomadis ante baptismum; ut constat ex Augustino sermone 213. In vulgato Ordine Romano præscribitur, ut feria quarta hebdomadæ tertiæ Quadragesimæ infantium, & susceptorum eorum nomina scribantur. In Gellonensi libro Sacramentorum, & in veteri Ecclesiæ Pictaviensis, ac in Pontificali Ecclesiæ Salisburgensis feria secunda injungebatur. Electis igitur, & susceptis catechumenis Apostolorum Symbolum tradebatur. Ex Ordine Romano Symbolum, & Oratio Dominica feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ in solemnissimo omnium scrutinio, *in apertione aurium* dicto, iis traditum erat, à qua disciplina non de-

Reſtunt Laodicensi canones, & Martinus
Bracarenſis in ſuo.

Gallicana Eccleſia juxta canonem 13.
Concilii Agathenſis ante octo dies Do-
minicæ Reſurrectionis publice in Eccle-
ſiis dabat competentibus. Hiſpana Iſidori
tempore non multo poſt Martinum ex
lib. 2. de Diviniſ Officiis cap. 17. in Do-
minica Palmarum. Idem ſervabatur in
Mediolanenſi, teſte Ambroſio in Epift. 20.
ad Marcellinam Sororem. In Africa tra-
debatur Symbolum tribus ante Paſcha
hebdomadis, ſcilicet Sabbato ante Do-
minicam quartam Quadrageſimæ, reddend-
um octo poſt diebus, ſcilicet Sabbato
ante Dominicam quintam, in quo trade-
batur Oratio Dominica, & ipſa octavo
poſt die reddenda: quod conſtat ex Au-
guſtino ſermone 213. & 58. In Eccleſia
Romana juxta S. Gregorii Papæ librum
Sacramentorum Sabbato Sancto reddeba-
tur Symbolum: ſed in canone Laodice-
no, & Martini Bracarenſis poſt tres heb-
domadas catechumeni illud ediſcebant,
& feria quinta in Cœna Domini Epif-
copo, vel Presbyteris reddedant.

Hic de baptismi tempore aliquid dicendum est. Paschalis solemnitas, & Pentecostes ex constanti, & indubitata veterum scriptorum auctoritate ad recipiendum baptismum erant designatae. Id à Patribus expressum, & à quamplurimis Conciliis decretum: vide, si placet, Martene de Antiquis Ecclesiae Ritibus lib. 1. Art. 1. cap. 1. Paschae, Pentecostesque diebus Graeci tertium Epiphaniae diem addiderunt, quod patet ex eorum Euchologio, ac ex S. Gregorio Nysseno, qui hac die Orationem de baptismo dixit ad baptizandos. Eadem viguit consuetudo in Africa ex Victoris Vitenfis libro 2. de Persecutione Wandalica. In Galliis, ait allegatus Martene, quinque potissimum in anno dies ad solemnem baptismi celebrationem fuisse designatos, Natalem Domini, Epiphaniam, Pascha, Pentecosten, & festum S. Joannis Baptistae, monumentaque vetera id attestantia adfert. Attamen ex Leone Magno Epist. 16. in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, aut si alia esset necessitas, baptismus denegari non sole-

solebat. Mag. P. Augustinus sermone 19. ait, cum terræmotus esset in Palaestina, septem hominum millia tam ex Judæis, quam ex Paganis, & Catechumenis statim fuisse baptizatos, & in Sitifensi civitate consimili casu duo millia.

Antiqua hæc certis dumtaxat diebus, Pascha, & Pentecoste maxime, baptizandi consuetudo, ad finem usque sæculi undecimi perseveravit, quo tempore abrogari cœpisse testatur Theophilactus commentario in Lucam ad caput 10. Hujus antiquissimæ legis ^{abroganda} causa ea præceteris est, quam adfert Rupertus in lib. 4. de Divinis Officiis cap. 18. quod cum Christianitas crevisset, periculosum erat tantam multitudinem differri propter occasiones mortis, ac propter turbam infantium è fidelibus parentibus nascentium, quorum tenera adhuc vita sæpe levi occasione succiditur.

*Legis abrogan
2^a causa etc.*



Q

L.

De non solvendo jejunio in quinta feria Paschæ

Non liceat quinta feria novissimæ septimanæ jejunium solvere, & omnem exhonore Quadragesimam; sed sincere abstinentes, totam quadragesimam peragere.

N O T A.

ITa est decerptum ex can. 50. Concilii Laodicensi. Feria quinta novissimæ hebdomadæ, quæ dies erat, qua Christus proditus fuerat, & Cœnæ suæ ultimæ communionem instituerat, quibusdam peculiaribus ritibus celebrabatur. Ex Concilio Carthaginensi III. cap. 23. constitutum fuerat, „Uti Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrarentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur. Eiusdem consuetudinis meminit Augustinus Epist. 118. ad Januarium cap. 7. quod

„ nonnullos probabilis quædam ratio de-
„ lectavit, ut uno certo die per annum,
„ quo ipsam cœnam Dominus dedit,
„ tamquam ad insigniorem commemora-
„ tionem post cibos offerri, & accipi
„ liceat corpus, & sanguinem Domini.
„ Honestius autem arbitror ea hora fieri,
„ ut qui etiam jejunaverit, post refe-
„ ctionem, quæ hora nona fit, ad obla-
„ tionem possit occurrere. Quapropter
„ neminem cogimus ante Dominicam il-
„ lam cœnam prandere, sed nulli e-
„ tiam contradicere audemus. Hoc tamen
„ non arbitror institutum, nisi quia plu-
„ res, & prope omnes in plerisque locis
„ eo die lavare consuerunt. Et quia non-
„ nulli etiam jejunium custodiunt, mane
„ offertur propter prandentes, quia je-
„ junia simul, & lavacra tolerare non
„ possunt, ad vesperam vero propter je-
„ junantes. Sed cum feriæ quintæ in
„ Cœna Domini perversa intentione jeju-
„ nium Priscillianistæ violarent, impiam
„ eorum agendi rationem anathemate per-
„ culit Concilium Bracarense II. can. 16.
„ à Martino Bracarense convocatum, jeju-
„ niumque observari indixit.

LI.

De Chrismate conficiendo.

O Mni tempore Episcopis liceat chrisma conficere, & per suas Dioceses destinare: ita ut ad dirigendum chrisma Diaconus, aut Subdiaconus ante diem Paschæ de singulis Ecclesiis ad Episcopum destinentur.

LII.

Non liceat Presbyteros præsentem Episcopo chrismare.

P Resbyter, præsentem Episcopo, non signet infantes, nisi forte ab Episcopo fuerit illi præceptum.

NOTA

EX Can. 20. Concilii Toletani I. duos in suo codice confecit Martinus: & ex Martino Gratianus exscripsit Dist. 4. de Consecratione cap. 124. Juxta Concilium Toletanum I. cum in ali-

quibus provinciis, & locis Presbyteri
chrisma conficerent, & conferrent, ad
versus eos decretum ediderunt Patres,
ne id agerent. Hinc manifeste evincitur
nequaquam Martini tempore adhuc sta-
bilitam fuisse disciplinam Ecclesiæ, quæ
vult ut chrisma tantum feria quinta in
Cœna Domini ab Episcopo conficiatur:
*Cum omni tempore Episcopis liceret
chrisma conficere ex supradicto canone.*
Sæculo autem septimo invaluit hæc dis-
ciplina de chrismate conficiendo in fe-
ria quinta ante Pascha; illius quippe
mentio fit in Sacramentario S. Gregorii,
& antiquo Ordine Romano, aliisque,
qui circa ea tempora de Divinis Officiis
scripserunt: & in Ecclesia adhuc obser-
vatur.

Solum Episcopum hujus Sacra-
menti esse Ministrum, nec ab aliis, quam
ab Apostolis, eorumque successoribus E-
piscopis umquam peractum esse ait In-
nocentius I. in Epistola ad Decentium
cap. 3. Nequaquam tamen ex Innocentii
testimonio inferre licet Episcopum ita
esse à Christo designatum ministrum, ut
ea potestas nullo casu inferioribus Pres-

byteris communicari possit. Nam Græci non tantum olim, sed etiam hodie eam auctoritatem in Presbyteris agnoscunt, hique baptizatos chrismate in fronte consignant: eamque praxim Latina Ecclesia in Concilio Florentino non improbat, imo cum Eugenius IV. Summus Pontifex inter alias quæstiones hanc Græcis proponeret: *Quare Pontifex non inungeret sacro Chrismate, sed Sacerdotes; cum hoc Pontificibus sit datum?* Statim subditur: *Hæc à Latinis objecta Metilinensis canonice omnia, legitimeque dissolvit.* Ceterum quamvis Latina Ecclesia habeat, ut soli Episcopi hoc Sacramentum administrent; Presbyteri extraordinarie, & absente Episcopo, dispensatione facta, id ministerii possunt exercere. Ita scripsit S. Gregorius ad Episcopum Calaritanum in Sardinia lib. 3. Epist. 9. *Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesie nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut*

Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.

Quapropter Synodus Tridentina can. 3. de Confirmat. dicens *Ministrum* hujus Sacramenti Episcopum esse, clare ad vocem *Ministrum* addit *Ordinarium*: nec Presbyterum extraordinarium *Ministrum* improbavit, qualis etiam ostenditur ex Martini canone.. Unde Eminentiſſimus Pallavicinus lib. 9. Histor. Concilii Tridentini cap. 7. n. 13. ait: *Quamquam necesse non esset hoc definiri, fere omnes tamen in S. Thomæ sententiam veniebant, quam præstantiores scholastici amplectebantur, posse hujusmodi facultatem Pontificia delegatione ad simplices Sacerdotes extendi.* Adducit quoque multa Summorum Pontificum diplomata, in quibus confirmandi licentia simplicibus Sacerdotibus concessa fuit apud Brasilianos, & Indos. Quæ si integram probationem non facere existimat Clarissimus Theologus Jacobus Hiacintus Serry, ut hanc sententiam admittat, nos integram probationem non facere existimamus, quæ ipse exhibet monumenta Disp. 3. Præ-

lect. 9. de Sacramento Confirmationis, ut illius opinionem teneamus.

Præcipue in loco citato ille nimis confidit Innocentio III. cap. *Quanto* 4. de Consuetudine, ubi Papa conqueritur: *Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum confirmationis.* Conqueritur quidem Innocentius, sed de solis Presbyteris Latinis Constantinopoli commorantibus: unde licet in editione Romana Decretalium præcitatis verbis comprehendatur, ita lectio restituenda est: *Omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis.* Sic legunt Juris Consulti recentiores cum Gonzale. Quare Presbyteris Latinis inter Græcos degentibus prohibetur, ne sibi concessum putent, quod in Græcis toleratur. Nec negat Innocentius ipse ex dispensatione Apostolica simplices Presbyteros Confirmationis Sacramentum posse conferre.

LIII.

*Quod non licet Presbytero ante
Episcopum in Baptisterio
introire.*

Non liceat Presbytero prius ab Episcopo in Baptisterium introire, sed cum Episcopo; nisi forte aut absens fuerit, aut aegrotus.

NOTA.

Canonem *Non liceat* 53. decerpfit Martinus ex Laodicensi 56. Ordinarius Baptismi Minister imprimis est Episcopus, qui populi sibi commissi primarius, & ordinarius est Pastor: *Dandi baptismi jus habet* (Tertullianus lib. de Baptismo cap. 16.) *Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyter, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Sane olim Episcopi in conferendo baptismo erant diligentissimi, de quibus Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ in-

quit: *Dant baptismum, catechumenos erudiunt.* Et de S. Ambrosio scribit in ejus vita Paulinus, quod esset *in rebus divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi à tempore, quo discessit, vix implerent.* Verum Parochi accipientes curam animarum ab Episcopo, per eam jus administrandi Sacramenta accipiunt; eaque cura accepta, independenter ab Episcopo, jure quasi proprio, & ordinario, jure sui officii, & beneficii Sacramenta conferunt. Quamobrem à Paulo V. in Pontificali Romano dicitur: *Legitimus quidem baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho, vel Ordinario delegatus.* Et nulli Presbytero sive sæculari, sive Regulari licet baptizare cum consuetis cæremoniis, & extra casum necessitatis in aliqua Parochia sine licentia Parochi, aut Episcopi; adeo ut quamvis Episcopus alteri Sacerdoti, etiam Parocho invito, facultatem baptizandi, aliaque sacramenta ministrandi delegare possit, id tamen raro, & nonnisi urgenti de causa faciendum est; ut decrevit Sa-

LUSIT. ECCLES. CAN. LIV. 251
era Congregatio Episcoporum in Tra-
nensi 21. Augusti 1580. in Thalesin. 12.
Januarii 1618.

LIV.

De Prægnantibus baptizandis.

Siqua mulier prægnans desideravit
gratiam baptismi percipere, quando
voluerit habeat potestatem; nam nihil in
hoc participat mater infanti, qui nas-
citur, propterea quod unicuique propria
posse voluntas in confessione monstratur.

N O T A.

Canonem istum desumpsit Martinus
ex can. 6. Concilii Neocæsariensis:
& hæc est una ex iis causis, cur bap-
tismus ante dies destinatos, & supra jam
dictos, conferri poterat. Unde Gelasius
Papa in Epist. ad Episcopos Lucaniæ
cap. *Baptizandi* 18. Dist. 4. de Consecrat.
ait: *Baptizandi sibi quispiam pas-
sim quocumque tempore nullam credat in
esse fiduciam, præter Paschale festum,*

& Pentecostes venerabile Sacramentum :
 excepto dumtaxat gravissimi languoris
 incurſu, in quo verendum eſt, ne morbi
 crescente periculo, ſine remedio ſalutari
 fortassis egrotans exitio preventus abſ-
 cedat. Martini canonem excripſit idem
 Gratianus Diſt. 4. de Conſecrat. cap. 116.

LV.

Quid in altario offerri oporteat.

Non oportet aliquid aliud in San-
 ctuario offerri, præter panem, &
 vinum & aquam, quæ in typo Chriſti
 benedicuntur, quia dum in cruce pende-
 ret, de corpore ejus effluxit ſanguis, &
 aqua : hæc tria unum ſunt in Chriſto
 Jeſu, hæc hoſtia, & oblatio Dei in odo-
 rem ſuavitatis.

NOTA.

ITa in Can. 24. Concilii Carthaginen-
 ſis III. ac ex Martino excripſit Gra-
 tianus Diſt. 2. de Conſecrat. cap. 4. Eu-
 chariſtiæ Sacramentum a Chriſto Domi-

no institutum est ex pane, & vino; idque ex populi oblationibus primis Ecclesie sæculis Sacerdotes assumebant. Nonnulli ex antiquis hæreticis obtentu abstinentiæ, ac temperantiæ vinum in aquam mutabant, & in sola aqua consecrabant; qui *Hydroparastatæ*, & *Aquarii*, *Encratitæ*que dicebantur. Ecclesie tamen semper fuit mos ut vinum aqua mixtum adhiberet, & pro utriusque usu, utpote necessario ex præcepto, & exemplo Christi contendit S. Cyprianus in Epist. 63. ad Cæcilium; & cur ita fieri debeat, quasdam addit rationes. Idem sensit Mag. P. Augustinus, qui supradicti Concilii Carthaginensis III. membrum fuit. Duæ præsertim rationes à Patribus adferuntur, altera ab exemplo Christi, altera ab egresso sanguine, & aqua de latere ejus. Istæ quidem rationes vim demonstrandi non habent, fuisse tamen praxim hanc antiquissimam, & universalem testatur Justinus Martyr in Apologia, & Irenæus lib. 4. cap. 57. qui ejus consuetudinis meminerunt, nullam ei assignantes rationem: *Præsidents* (inquit Justinus) *postquam gratiarum*

actionem perfecit, & populus universus adprecatione leta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri, distribuunt unicuique presentium, ut participet eum, in quo gratie actus sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.

Armeni in mero vino Eucharistiam administrasse dicuntur, sed id errori eis vertit Theophilactus Comment. in Joannem cap. 19. *Pudore suffundantur Armeni, qui aquam non miscent vino in mysteriis: & Trullanum Concilium can. 32. eos damnavit, auctoritatemque Liturgiæ S. Jacobi Apostoli, & S. Basilii contra illos produxit. Verum enim vero cum hac de re expressum mandatum in institutione Christi non extet, quamvis vetus Ecclesia consentiat, & semper vino aquæ mixto usa fuerit, communiter inter Catholicos definitur hoc non esse de essentia Sacramenti. Unde hoc canone ii quoque improbantur, qui vino, aquæ, & pani aliud addebant, vel unum pro alio elemento substituebant: nempe qui loco vini lac, vel mel aqua mixtum offerrent, uvas pro vino, legumina pro*

pane, aut caseum una cum pane consecrarent. Quos ultimos refert Mag. P. Augustinus lib. de Hærelib. cap. 48. *Artotyritæ sunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit. Offerunt enim panem, & caseum dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas. Ceterorum meminit, & in eos animadvertit Concilium Antissiodorense can. 8. Non licet in altario in Sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre.*

LVI.

De Presbyteris Forasticis.

Forasticis Presbyteris, presente Episcopo, vel Presbytero civitatis offerre non liceat, nec ministrare in populo, nisi forte illis absentibus.

NOTA.

EX Can. 13. Concilii Neocæsariensis excerptus est iste, quo *Forasticis Presbyteris*, id est *corregionalibus*, sive *ruralibus*, Presby-

tero, vel Episcopo civitatis præsentibus offerre prohibetur, etiam in Ecclesia oppidana. Hinc nemo certe negabit Martini tempore per Hispanias ruri fuisse Ecclesias, & Parochias. Tribus prioribus sæculis nullas in agris fuisse Parochias accedit ad verum. Paulus ad Titum cap. 1. v. 5. inquit reliquisse se Cretæ, ut *constituat per civitates Presbyteros*: non extra civitates. Ignatius ad maximarum urbium Ecclesias scripsit; nulla apud eum mentio, aut Presbyterorum in agris, aut Ecclesiæ alterius in urbe præter Episcopalem, quod observari etiam potest in literis Cypriani. Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum observat sua ipsius ætate, id est, ineunte sæculo quinto, nullas adhuc fuisse in agris Ecclesias; intra civitatem constitutas esse quasdam, in quibus veluti in cœmeteriis essent Presbyteri, & Tituli appellabantur, ubi Presbyteri conficiendorum Sacramentorum jus, & licentiam habebant. Unde rurales Parochiæ quarto sæculo, nec ubique eodem tempore initium habuisse ex monumentis antiquis conjicitur: & urbicas ruralibus

libus antiquiores fuisse, easque in maioribus tantum uribus.

LVII.

De non jejunando die Dominico, neque genuflectendo similiter, ut in Quinquagesima.

Siquis Presbyter propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam, aut aliqua necessitate die Dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichei, anathema sit. Similiter & quod ab Apostolis traditum canon tenet antiquus, placuit tam per omnes Dominicas, quam per omnes dies Paschæ usque ad Quinquagesimam, non prostrati, nec humiliati, sed erecto vultu ad Dominum orationum fungamur officio, quia in his diebus gaudium Resurrectionis Dominicæ celebramus.

NOTA.

Circa jejunium die Dominico prohibitum Martinus suum excerptit ex Ancyrano 13. de ejusdemque inhibitione, quamvis jam sit attactum in

R

nota ad can. 48. de non celebrandis Natalitiis, juxta prædictum addi necesse est ex Mag. P. Augustino Epist. 36. alias 86. ad Casulanum Ecclesiæ initio: *Non fuisse Ecclesiæ tam insignem offensionem, si aliqua tali necessitate, qualem Apostolus Paulus habuit, die toto Dominico usque ad medium noctis, vel usque ad diluculum reficere corpora non curarent. Postquam vero Heretici jejunia diei Dominici non aliqua necessitate occurrente peragere, sed quasi sacra solemnitate statuta dogmatizare cæperunt, Ecclesia Dominicis diebus jejunium ita prohibuit, ut si jejunium alicujus vigiliæ incideret in Dominicum diem, præcedenti Sabbato anticiparetur, ex cap. Concilium 2. de Observat. jejunior. Quod si quis etiam vovisset jejunare per unum, vel plures annos, subintelligeretur exemptus diebus Dominicis à jejunio, quia à lege jejunii eos dies excipit Ecclesia. Si tamen iis diebus Dominicis vovens ille jejunaret, non peccaret, si id faceret absque scandalo, & sine alio pravo mortali fine, ac superstitione: ita Bellarminus tom. 4. lib. 2. de bonis operib. cap. 23.*

Circa gestum in Dei adoratione per dies Dominicos, & ceteros a Pascha usque ad Pentecosten desumpsit ex Nicæno 20. in quo statutum est ut omnes Ecclesiæ ad eandem formam hac in re reducerentur. Quatuor genera *gestuum* veterum in Deo adorando deprehenduntur; nimirum *statio*, *inflexio genuum*, *inclinatio capitis*, & *prostratio*. Sessio numquã à veteribus tamquam ordinarius precantium gestus fuit. Statio universim per totam Ecclesiam die Dominico, & quinquaginta diebus inter Pascha, & Pentecosten, in memoriam Resurrectionis Domini nostri Jesus Christi in usu erat. Tertullianus lib. de Corona militum cap. 3. de hac re loquitur, tamquam consuetudine inter alias multas ex Apostolica traditione accepta: *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* S. Hieronymus in Dialog. contra Lucifer. cap. 4. inter multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observari, & auctoritatem scriptæ legis usurpavisse dicit, id quoque refert, quod *die Dominico*,

& per omnem Pentecosten, nec de genuculis adorare, & jejunium solvere soleant.

Genuum inflexio omnibus reliquis temporibus erat in usu, præsertim diebus stationariis, & aliis precum temporibus. Arnobius lib. i. Gentilibus rationem, qua Deum Christiani colebant, descripturus ait: *Hic propositus terminus divinorum officiorum, hic finis, huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precibus adoramus.* Facile foret ex veteribus Patribus hujus consuetudinis exempla adferre; ast in re tam perspicua, & incontroverta alienum est abs re lectorem demorari; sicut & in aliis duobus generibus, scilicet in capitis inclinatione, & humi prostratione, quæ passim apud veteres scriptores cuique occurrunt.

LVIII.

De prægustandis carnibus, & non exsecrandis.

Siquis non pro abstinentia, sed pro exsecratione escarum abstinet, placuit Sancto Concilio, ut præguset, & sic si vult, abineat; si autem spernit,

ita ut olera cocta cum carnibus non degustet; iste non obediens, neque suspicionem hæresis à se removens, deponatur de ordine Clericatus.

N O T A.

IN Concilio Bracarenfi I. alias II. id fuerat statutum juxta veterum aliorum Patrum decreta. Ex Martino collegit Gratianus Dist. 30. cap. 17. Ob quamcumque enim superstitionem à carne abstinentes Clerici obnoxii erant depositioni. Magna semper contentio de esculentis fuit Ecclesiæ cum diversis sectis, quæ ex falsa, & hæretica opinione carnes pollutas, impuras, & malas existimarunt. Manichæi, Priscillianistæ, & alii magis spirituales, puriores se esse opinabantur, quod à vino, & carne, tamquam rebus immundis, & illicitis sese abstinerent: ex eoque capite Ecclesiam tamquam impuram, & carnalem increpabant, quia hominibus justum, & moderatum eorum usum concedebat. Siquis igitur Clericus eatenus hæreticis aspiraret, ut vel judicio suo errores eorum

hac in re approbaret, vel praxi sua, dum universalem abſtinentiam exerceret, ſuſpicionem Eccleſiæ daret, quod ab eorum ſtaret partibus, graviffimis cenſuris ſeſe reddebat obnoxium, ut prædicto canone legimus. Neque illi repugnat (ut male contendunt Novatores) quod Monachi aliqui, Carthuſienſes, Minimi, Carmelitæ Diſcalceati, & alii à carnibus, non tantum certis diebus, ſed ſemper abſtineant, neque deguſtent: nam ii non execrantur carnes, aut abhorrent, quomodo Manichæi, & Priscillianiſtæ abhorrebant, ſed ſeveriorem illam continentiam colunt, & Chriſtianos, qui carnes comedunt, non judicant. Præterea Mater Eccleſia neminem cogit Carthuſianum, aut Minimum fieri, ac per hoc neminem cogit à carnibus perpetuo abſtinere, ut hæretici illi perpetuo cogebant.

LIX.

De eo, quod non liceat Sacerdotibus, vel Clericis incantaturas, & contrarias ligaturas facere.

Non liceat Clericis incantatores esse, & ligaturas facere, quod est conligatio animarum. Siquis hæc facit de Ecclesia projiciatur.

LX.

De eo quod non liceat Sacerdotibus, vel Clericis spectaculis interesse.

Non liceat Sacerdotibus, vel Clericis aliqua spectacula in nuptiis, vel in convivio spectare: sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere, & recedere inde.

LXI.

*De eo quod non liceat convivia
facere de confertis.*

Non liceat Sacerdotibus, vel Clericis, sed nec Religiosis laicis, convivia facere de confertis.

NOTA.

HÆc ex canonibus Laodicensis 36. 54. & 55. sunt desumpta. Nihil magis Sacris Canonibus Clericis, quos Dominus in sortem suam vocavit, interdicitur, quam ut cum sæculi rebus communicent: sæcularia vitent oblectamenta, & à Gentilium abhorreant consuetudine. Incantatio magica, quæ ad operanda mala spectat, eis prohibetur à Laodicensi Concilio can. 36. quod ex Ecclesia ejicit, qui superstitioni huic se dederint. Quid mirum Clericis id sit interdictum, si in laicis hanc pravam scientiam puniendam, & severissimis legibus vindicandam statuit Magnus Con-

stantinus lege data, quæ est 3. in Cod. Theodosiano tit. de Maleficiis, & Mathematicis. Quod pariter intelligas necesse est de ligaturis, de usu scilicet amuletorum, carminum, ac characterum magicorum ad curandos morbos, & pericula, ac damna tum à seipsis, tum à fructibus terræ averruncanda. Ex supradictis etiam canonibus notum est quantum à spectaculis Clerici abesse debeant sub comminatione pœnæ canonicæ, & à conviviorum celebratione, quæ vulgus commessalia appellat, & veteres *Confer-ta*, *Symbolas*, seu *Conlata* dicebant apud Ducange verbo *Confertum*. Unde Isidorus Hispalensis Episcopus lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 4. Clericis *Lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant, nec spectaculis, nec pompis intersint, convivia publica fugiant; privata, non tantum pudica, sed sobria colant*. Idem in plurimis Conciliis fuit stabilitum: & Tridentina Synodus sess. 22. de Reformat. cap. 1. statuit, ut „ quæ „ alias à Summis Pontificibus, & à Sa- „ cris Conciliis de Clericorum vita, ho-

„neſtate, cultu, doctrinaque retinenda,
 „ac ſimul de luxu, commeaſationibus,
 „choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcum-
 „que criminibus fugiendis copioſe, ac
 „ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in
 „poſterum eiſdem poenis, vel maiori-
 „bus arbitrio Ordinarii imponendis ob-
 „ſeruentur,„

LXII.

*De uſuris; vel negotiorum lu-
 cris.*

Siquis oblitus timorem Domini, &
 Sanctam Scripturam, que dicit: pe-
 cuniam ſuam non dedit ad uſuram: poſt
 hanc cognitionem magni Concilii ſæne-
 raverit, & centeſimas exegerit, aut ex
 quolibet negotio turpia lucra quaſierit,
 aut per diuerſas ſpecies vini, vel fru-
 gis, vel cuiuſlibet rei, emendo, & ven-
 dendo incrementa ſuſceperit, depositus de
 gradu ſuo, alienus habeatur à Clero.

N O T A.

EX Can. 17. Concilii Nicæni excerptus est iste: & ex Martino collegit Gratianus caus. 14. quæst. 4. cap. 4. Unum crimen ex aliis, propter quod Clericus muneris sui abrogatione dignus judicabatur, erat usuras accipere, in antiquis canonibus frequenter, tamquam quoddam avaritiæ genus, & crudelitatis interdicebatur, & hoc intuitu in Clericis tam severe damnabatur, utpote qui potius contrariis virtutibus, liberalitati, misericordiæ, mundi, & omnis lucri contemptui operam dare deberent. Leges hoc crimen prohibentes plures sunt, quam ut transcribi possint. Damnarunt Nicæna Synodus can. 17. Eliberitana can. 20. Arelatensis I. can. 12. Carthaginensis I. can. 13. Laodicensis can. 4. Improbaverunt Scriptores veteres, & Sanctissimi Cyprianus de lapsis, Hieronymus in Ezechielem cap. 17. Sydonius Apollinaris lib. 1. Epist. 8.

Circa hujus negotiationis naturam observandum est fuisse inter Romanos

diversa usurarum genera. Usitatissimæ erant, quas centesimas vocabant, & quarum meminit Martinus, quod centesimam fortis partem, quæ singulis mensibus pendebatur, ac duodecim ex centenis per annum conficiebat, significat. Romani enim per menses, nimirum ipsis Kalendis, accipiebant. Unde Basilus in Psal. 34. menses usurarum parentes vocat. Hoc usuræ genus Ecclesiæ legibus profus erat proscripsum, quod esset magna oppressio; quamvis civiles leges permitterent: nam Constantinus Magnus anno 325. atque eodem, quo Nicæna Synodus habita est, legem protulit, quâ creditoribus centesimas, nihil autem ultra accipere concessit, & est i. lib. 2. tit. 33. de usuris in Cod. Theodosiano.

Aliud usurarum genus est, quod leges fescuplum, id est, totum cum dimidia ejus parte vocant; quod Hieronymus in Com. in Ezechiel. 18. improbat: *Solent in agris frumenti, & milii, vini, & olei, ceterarumque Specierum usuræ exigi... Verbi gratia, ut hiemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius par-*

tem mediam. Nicænum Concilium can. 17. & Laodicensem can. 4. in Clericis id damnavit, & in laicis Justinianus lege 26. Cod. de usuris, quæ nulli ultra centesimam in quocumque casu fuerit, accipere permittit.

Tertium usuræ genus in lege civili 26. Cod. Justin. de usuris erat *bestis centesimæ*, sive octo de centenariis. Quartum erat dimidia pars centesimæ, quam ex prædicta Justiniani lege omnibus licitum erat stipulari; idemque erat ac sex pro centenariis. Quinto: Illustres homines non ultra centesimæ partem, quatuor dumtaxat pro centum accipere debebant. Et cum Imperii leges prohiberent, ne laici diversa usurarum genera acciperent, non est mirum quod Ecclesiæ leges Clericis ea accipere multo severius inhibuerint. Usuræ enim ut plurimum à pauperibus exigebantur, idque Ecclesia pro eorum oppressione habebat, quorum indigentia potius sine usura eis dando mutuo, docente Christo, adlevanda erat. Nec Clerici poterant accipere usuram ab hominibus divitibus, & negotiatoribus sæculi, quin hoc eos in negotia, ac studia sæ-

*Centesimæ
partem
centenariis*

cularia implicaret magis quidem, quam Ecclesia ipsa pro sua sapientia iis temporibus permittendum iudicabat; quæ ministros suos, teste Apostolo ad Titum cap. I. non turpis lucri cupidos expe-
tebat.

LXIII.

*De Clericis, qui ad Matutinū,
& Vespertinum officium
non convenerint.*

Siquis Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesie deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi Sacrificium, Matutinis, vel Vespertinis horis ad Ecclesiam non convenit, deponatur à Clero; si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

N O T A.

EX Can. 5. Concilii Toletani I. ex-
 scripsit Martinus : ac ex Martino
 habuit Gratianus Dist. 92. cap. 9. & con-
 jiciunt plurimi id temporis in Ecclesiis
 Hispanis Horas Canonicas præter Matu-
 tinam, & Vespertinam non dum fuisse
 admittas. Solum quippe Matutinis, ac
 Vespertinis horis quotidianum psallendi
 Sacrificium fieri dicit Bracarenfis Præ-
 sul, ad quod omnes Clerici convenirent,
 sub pœna muneris Ecclesiastici, si casti-
 gatus non emendaretur. Vespertina hora
lucernalis etiam vocabatur, quod eo
 tempore, quo lucernæ accendebantur,
 inclinante videlicet in noctem die, ini-
 tium caperet. De Nona in aliis Eccle-
 siis meminit Cōcilium Laodicenum can. 8.
*Quod ipsum officium precum, & nona,
 & vespera semper debeat exhiberi.* In
 Monasteriis vero reliquæ horæ, tamquam
 partes canonicæ quotidiani cultus fue-
 rant stabilitæ: & plerique sæculi quarti
 scriptores, qui de sex, vel septem ho-
 ris precatationis loquuntur, de solorum

Monachorum, non de universi corporis
Ecclesiastici consuetudine agunt. Hiero-
nymus in Epist. 56. ad Lætam de Institu-
tione filiaë ait : „ Præponatur ei probæ fi-
„ dei , & morum ac pudicitiaë virgo vete-
„ rana, quæ illam doceat, & assuescat ex-
„ emplo ad orationes , & psalmos nocte
„ confurgere, mane hymnos canere , Ter-
„ tia , Sexta , Nona hora stare in acie
„ quasi bellatricem Christi ; accensaque
„ lucernacula reddere ad Sacrificium
„ vespertinum,, Idem inquit Basilus,
Gregorius Nyssenus, Cassianus , Cassio-
dorus, & scriptores alii, imo Chryso-
stomus ipse Homil. 14. in 1. ad Timoth.
qui de tribus tantum solemnibus precum
horis in Ecclesia loquitur ; quando ta-
men occasionem habet loquendi de Mo-
nachis , eorumque institutis, totidem ho-
ras canonicas recenset, quod alii : „ Ad
„ galli cantum continuo Præpositus ad-
„ sistit, pulsatque modice pede jacentem,
„ sicque omnes una protinus excitat :
„ neque vero nudos ibi dormire fas est.
„ Inde ubi surrexere , divinis laudibus
„ instant, hymnosque propheticos canunt,
„ magno, suavique concentu, & canticis
nume-

„ numerosis... Matutinis precibus, hym-
 „ nisque peractis ad Sanctarum Scriptu-
 „ rarum studia se convertunt. Deinde
 „ Tertiam, Sextam, Nonam, Vesper-
 „ tinamque consumant synaxim.,,

Hanc Monasteriorum consuetudinem non fuisse observatam inter Hispanos in suis Ecclesiis saeculo sexto constat non tantum ex Martini canone exposito, verum & ex can. 1. Concilii Bracarenfis II. five apud alios I. cui Martinus ipse interfuit Dumiensis tunc Episcopus: *Placuit omnibus communi consensu, ut unus, atque idem psallendi ordo in matutinis officiis teneatur, & non diversæ, ac privatae Monasteriorum consuetudines contra Ecclesiasticas regulas sint permixtæ, vel cum Ecclesiasticis regulis sint permixtæ.* Ast saeculo septimo ceterarum canonicarum horarum per Hispanias meminit, & loquitur Isidorus Hispalensis lib. 1. de Officiis cap. 5. *Nam est observatio quarundam horarum, quæ diei inter spatia signant, Tertia, Sexta & Nona, similiter & noctis.* Monasteriorum, & universi corporis Ecclesiastici eadem jam est disciplina, ac consuetudo circa ho-

rarum canonicarum numerum; quamvis sit varius ritus, variaque Breviaria pro aliquibus Ordinibus Religiosis, quos S. Pius V. in Constitutione die 7. Junii 1568. non adegit ad Breviarii Romani observantiam, cum ab ipsa prima sua institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ ducentos annos antecederet, proprio Breviario uterentur.

Ex hoc Martiniꝰ can. 73. palam fit qua obligatione Beneficiati, sive clerici Ecclesiæ alicui deputati tenerentur ad Divini Officii recitationem in Ecclesia, cui erant adscripti, & quo jure in beneficii loco residerent: nec novum esse Innocentii III. præceptum obedientiæ cap. *Dolentes* 9. de Celebrat. Missar. Clericis iis impositum, ut *divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum studiose celebrent, & devote.* Quod etiam Pius V. in constitutione *Ex proximo* expressit: *Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum illum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse.* Imo tenetur Beneficiatus ad Divinum Officium recitandum, etiamsi suum beneficium sit tenue,

quod acceptavit. Unde si post sex menses ab obtento beneficio Divinum Officium non dixerit sine legitima causa, fructus tamquam injuste perceptos in fabricam beneficii, vel pauperum eleemosynas debet erogare ex Constitutione 7. Leonis Papæ X. *Supernæ dispositionis*, & ex supra allegata Pii V. ibi: *Qui horas canonicas uno, aut pluribus diebus intermiserit, omnes beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui horarū singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittant.* Et quod in conscientia id restitui debeat ante omnem sententiam, & Judicis declarationem constat ex decreto Alexandri VII. damnante sequentem propositionem: *Restitutio à S. Pio V. imposta Beneficiatis non recitantes non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis; eo quod sit pœna.*

LXIV.

De eo quod nō liceat Clerico Dominica die de Ecclesia absētari.

Non liceat quemlibet Clericum die Dominica ab Ecclesia absentem esse, sed missarum solemnibus interesse.

N O T A.

AD Canonem 64. Concilii Agathensis respexit Martinus. Hinc monstratur quā religiosa observantia Dominica dies celebraretur, ut Clerico nulli liceret ea die ab Ecclesia sua abesse, & Missarum solemnibus non interesse. Ex hoc canone inferunt plurimi eo tempore unam tantum celebratam fuisse missam Dominica die, ubi & adessent Episcopo sacris operanti Presbyteri alii, & communionem perciperent. Hanc vetustissimam consuetudinem celebrandi Dominicam diem descripsit Justinus Martyr in Apolog. 2. „ Solis qui dicitur, die, „ omnium, qui vel in oppidis, vel ruri „ degunt, in eundem locum conventus „ fit: & commentaria Apostolorum, aut „ scripta Prophetarum, quoad tempus

„ fert , leguntur. Deinde , Lectore qui-
„ escente , Præsidens orationem , qua po-
„ pulum instruit , & ad imitationem tam
„ pulchrarum rerum cohortatur , habet.
„ Sub hæc consurgimus communiter om-
„ nes , & preces profundimus : &
„ sicuti retulimus , precibus peractis , pa-
„ nis offertur , & vinum , & aqua : &
„ Præpositus itidem , quantum pro virili
„ sua potest , preces , & gratiarum actio-
„ nes fundit , & populus fauste accla-
„ mat , dicens Amen... Solis autem die
„ communiter omnes conventum agimus :
„ quandoquidem is primus dies est , quo
„ Deus tenebris , & materia versa , mun-
„ dum effecit , & Jesus Christus Serva-
„ tor noster eo die à mortuis resurrexit.,.
Id unitatis genus , per quam omnes Chri-
stiani cum sua quisque Ecclesia in pu-
blica omnium sacrorum functione statu-
tis iis diebus , se consociabant , erat
decus , & ornamentum Ecclesiæ : qua-
propter diversi canones in diversis Con-
ciliis fuere publicati , qui in hanc rem
aopprime faciunt. Omissis canonibus 4. 5.
& 6. Concilii Gangrensis ; Concilii Eli-
beritani can. 21. sufficiat : *Siquis in ci-*

uitate positus, tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstinere, & correptus esse videatur.

Erant tamen necessariae quædam causæ, quæ unumquemque hoc constantis cum sua ipsius Ecclesia communionis officio absolvebant. Videlicet, si quis esset in itinere, rei natura ipsius erat excusatio. Siquis infirma, aut ægra valetudine esset, infirmitas ipsa impedimentum erat, quod excusaret. Siqui in custodiam erant coniecti, vel in exilium, id eorum absentiam liberabat. Quomodo enim corporaliter cum Ecclesia se jungerent, qui corporum suorum libertate carebant, ex aliorum arbitrio toti pendentes? Satis erat in ista vitæ suæ conditione in spiritu se cum Ecclesia conjungere, quando corporis præsentia id agere nequibant; & dicere cum Regio Propheta: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te Deus.* Infelicitatis erat eorum, & non noxæ abesse a domo Dei.

LXV.

*De eo, quod non liceat Clericis
ante horam tertiam prandere.*

Non oportet Clericos, vel laicos
ante sacram horam diei tertiam
inire convivia, neque aliquando Cleri-
cos, nisi Hymno dicto, edere panem, &
post cibos gratias Auctori Deo referre.

LXVI.

*De adtondenda coma Clerico-
rum, vel habitu ordinato.*

Non oportet Clericos comam nutrire,
& sic ministrare; sed attonso ca-
pite, patentibus auribus, & secundum
Aaron talarem vestem induere, ut sint in
habitu ordinato.

Concilium Carthaginense IV. can. 44. statuit ne Clericus comam nutriret. Tonsuræ Clericalis originem Petro Apostolo, aliisque Apostolis acceptam ferunt Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 27. S. Isidorus lib. 2. de Divinis Officiis cap. 4. Amalarius lib. 2. de Divinis Officiis cap. 5. & alii apud Martene lib. 1. de Antiquis Ritibus Ecclesiæ cap. 8. art. 7. Alii vero contrariam ineunt sententiam, & fieri nequaquam existimant potuisse, ut inter tot persecutionum procellas sub Ethnicis Imperatoribus, Clerici detonso capite ambularent, cum id tam patens esset Christianæ religionis signum, quam profitebantur: & de S. Jacobo Apostolo refert Hegesippus apud Eusebium lib. 2. Hist. Eccles. cap. 23. *Quod nunquam comam totondit:* Certe alia fuit Occidentalis Ecclesiæ tonsura, quam S. Petri nomine appellarunt, alia Orientalis, quam S. Pauli dicebant. Orientales enim, qui tonsuræ formam à S. Paulo accepisse gloriabantur, integrum caput tondebant, quamvis non ad cutem usque, sed eo modo, qui à Monachis

conversis observatur. S. Hieronymus, qui in Oriente vixit, in suis super Ezechielem commentariis cap. 44. ait: *Per-spicue demonstratur nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, at-que Serapis, nos esse debere: nec rursus comam demittere, quod proprie luxuriosum est, barbarorumque, & militantium; sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur. Dicimus nec calvitium nova-cula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos esse de-mittendos, ut opertum sit caput.*

Occidentalium tonsuram apprime repræsentat Gregorius Turonensis lib. 1. de Vita Patrum cap. 17. & de S. Nicetio Treverorum Episcopo sic scripsit: *Nicetus Episcopus ab ipso ortus sui tem-pore Clericus designatus est. Nam cum partu fuisset effusus, omne caput, ut est consuetudo nascentium infaniam, à ca-pillis nudum cernebatur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse designatam. Concilium Toletanum IV. can. 41. statuit: ut omnes Clerici,*

vel Lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquunt. Hinc scitur eandem fuisse tonsuram omnium Clericorum, Lectorum, Acolythorum, aliorumque perinde ac Presbyterorum, aut Episcoporum per totam Hispaniam.

Per quinque priora sæcula Clericos nullos veste fuisse conspicuos in Ecclesia Latina, efficacissimo, quod existimo, argumento monstratur ex Epistola Cælestini I. Summi Pontificis ad Episcopos Viennensis, & Narbonensis provinciæ; qui veluti novum, ac sensim invalescentem morem reprehendit, quod Clerici pro tunica, & Romana toga, qui communis erat ipsis, & laicis habitus, pallio, ac cinculo utebantur. *Discernendi à plebe, vel ceteris doctrina, non veste, mentis puritate, non veste... Amicti pallio, & lumbis præcincti, credunt se scripture fidem, non per spiritum, sed per literam complexuros. Et consuetudinem illam detestatur, ut Sanctis Patribus contumeliosam: Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tantorum annorum, tantorumque Pontificum in alterum ha-*

bitum consuetudo vertatur? Nam si incipimus studere novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacaneis superstitionibus faciamus. S. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum inter Clericos cooptatum, ait illum mutasse quidem vestem, sed tantum ut modestiorem indueret provinciæ suæ consuetudini aptam: Balteo posito, mutatoque habitu, quidquid castrensis peculii fuit, in pauperes erogavit. Excepta vili tunica, & operimento pari, quo tuto tantum corpore frigus excluderet, nihil amplius sibi reservavit. Cultus ipse provinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat.

In Oriente quoque à laicis veste Clerici non discernebantur. Origenes apud Euzebium lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 19. scribens adversus eos, qui nimium ejus studium erga Græcanicas disciplinas reprehendebant, ait Heraclam Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyterum, cum vulgari veste antea esset usus, ea deposita, Philosophicum induisse habitum, eoque indutum Græcorum libris evolvere non destitisse. Philosophicus utique

habitus laicorum erat. Palladius de Chry-
 sostomo refert in ejus vita, eum ante o-
 bitum vitæ suæ digna candida vestimen-
 ta quæsisse, exutumque prioribus ea
 sibi induisse. Unde conjicere pronum est
 liberum cuique fuisse, quem vellet co-
 lorem adhibere. Seditiosus Eustathius
 multis persuaserat cultum corporis sæ-
 cularem, quo populus pro suo quisque
 statu vulgariter uti consueverat, illis
 obstare, qui salutem sibi propter populi
 mores quodam speciali studio quærent,
 ideoque vestium distinctionem docebat
 habendam: quapropter Gangrensis Sy-
 nodus can. 12. decrevit: *Siquis virorum
 putaverit sancto proposito, id est, conti-
 nentiæ non convenire, ut pallio utatur,
 tamquam ex eo justitiam habiturus, &
 reprehendat, vel judicet alios, qui cum
 reverentia birris utuntur, & alia veste
 communi, que in usu est, anathema sit.*

Birrum Clericis omnibus fuisse com-
 munem docet Mag. P. Augustinus serm. 50.
 de Diversis: *Offerat mihi, verbi gratia,
 birrum pretiosum: forte decet Episcopum,
 quamvis non deceat Augustinum, id est,
 hominem pauperem de pauperibus natum.*

Cum Augustinus, aliique Patres doceant
 birrum communem fuisse Clericis ve-
 stem, laicis vero Concilium Gangrense:
 facile colliges nullo penitus privato ve-
 stimenti genere Clericos à laicis fuisse
 discretos. Communem laicorum vestem
 induere Clericos oportebat, quibus id
 fuit semper propositum, ut omnium con-
 ciliant amorem, omnesque lucrifaciant.
 Unde ait Salvianus plebi Monachos olim
 execrationi fuisse, quod in maioribus
 urbibus viderentur *palliati, & recisis*
usque ad cutem comarum jubis.

Habitu, & tonsuram Clericalem
 deferre teneri Clericos in Sacris Ordini-
 bus constitutos, & etiam Clericos infe-
 riores, si beneficio Ecclesiastico fruun-
 tur plurima jura constiuunt cap. *Clerici*
officia 15. de vita, & honestate Clerico-
 rum. Clement. *Quoniam* eodem tit. &
 Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6.
 de Reformat. *Etsi habitus non faciat*
Monachum, oportet tamen Clericos ve-
stes proprio congruentes ordini semper
deferre, ut per decentiam habitus extrin-
seci morum honestatem intrinsecam osten-
dant. Imo Clerici in Sacris, seu bene-

ficiati habitum Ordini, & dignitati convenientem non deferentes subjiuntur gravissimis pœnis. Si enim postquam ab Episcopo suo per edictum publicum moniti fuerint, & honestam vestem Ordini, aut suæ dignitati aptam non detulerint, ab Ordinibus, officio, & beneficio suspendi possunt: & si semel moniti, iterum defecerint, privatione quoque officii, ac beneficii puniri, ex Concilio Tridentino allegato eadem sess. & cap. Quinimo Sixtus V. Constitutione *Cum Sacrosanctum* decrevit, ut Clerici beneficiati non deferentes habitum, & tonsuram Clericalem ipso facto sine ulla monitione, aut iudicis decreto ipsis beneficiis priventur, adeo ut illa vacent, & aliis libere conferri queant. Eadem constitutione Sixtus statuit ut Clerici *vestes talares deferant.*

Note Quamvis per talares vestes plerumque intelligantur illæ, quæ pertinent usque ad talos, sicque hominem usque ad imam partem pedum tegunt: alii tamen ex epicheia, & æquitate etiam illas iudicant, quæ juxta consuetudinem locorum Clericis sunt decentes, quam-

vis non sint nimis longæ, neque usque ad pedes descendant. Quamobrem pro discernenda decentia vestium Clericalium, attendendum est, an ipsæ sint conformes communi usui proborum Clericorum, provinciarum, civitatum, aut locorum consuetudini, ubi morantur Clerici: consuetudo quippe est optima legum interpret ex cap. *Cum dilectus* 8. de Consuetudine. Verum Clericos omnes in functionibus Ecclesiasticis vestibus proprie talaribus esse usuros non semel declaravit Sacra Congregatio Concilii, quam sequuta est Sacra Congregatio Episcoporum in Tarentina 22. Maii 1699.

Nota

LXVII.

De eo, quod non liceat Psalmos Poeticos in Ecclesia dicere, vel libros apocryphos legere.

Non oportet Psalmos compositos, & vulgares in Ecclesia dicere, neque libros, qui sunt extra canonem legere, nisi solos Canonicos novi, & veteris testamenti.

N O T A

PRædictum canonem Martinus ex-
 cerpsit ex can. 12. Concilii Braca-
 rensis II. alias I. & ex 59. Concilii Lao-
 diceni, quod non tantum, quid in Eccle-
 siis legendum esset, constituit, sed cano-
 cos libros declaravit: „ Non oportet ab
 „ idiotis Psalmos compositos, & vulga-
 „ res in Ecclesiis dici, neque libros,
 „ qui sunt extra canonem legere, nisi so-
 „ los canonicos novi, & veteris testa-
 „ menti. Quæ autem oporteat legi, &
 „ auctoritatem recipi, hæc sunt: Gene-
 „ sis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deu-
 „ teronomium, Jesu Nave, Judicum,
 „ Ruth, Regum libri 4. Paralipomenon,
 „ libri 2. Esdræ, liber Psalmorum nu-
 „ mero 150. Proverbia Salomonis, Ec-
 „ clesiastes, Cantica canticorum, Job,
 „ Ester, duodecim Prophetarum libri,
 „ id est Osee, & Amos, Joel, Abdias,
 „ Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc,
 „ Sophonias, Aggæus, Zacharias, Ma-
 „ lachias, Izaias, Jeremias, Ezechiel,
 „ & Daniel. Novi testamenti Euangelia
 quatuor

„ quatuor , secundum Mathæum , secun-
 „ dum Lucam , secundum Marcum , se-
 „ cundum Joannem , Actus Apostolo-
 „ rum , Canonicæ Epistolæ septem , Jacobi
 „ una , Petri duæ , Joannis tres , Judæ
 „ una , Epistolæ Pauli Apostoli numero
 „ quatuordecim , ad Romanos una , ad
 „ Corinthios duæ , ad Galathas una , ad
 „ Ephesios una , ad Philippenses una ,
 „ ad Colossenses una , ad Thessalonicen-
 „ ses duæ , ad Thimoteum duæ , ad Ti-
 „ tum una , ad Philemonem una , ad He-
 „ braeos una ,. Laodicensis Synodus eos
 tantum libros enumerat , de quibus suo
 tempore non erat controversia , alios ,
 qui tunc dubii erant , tacendo non reji-
 cit ; videlicet Tobie , Judith , Ecclesiasti-
 ci , Sapientie , duos Machabæorum ,
 & Joannis Apocalypsim , quos omnes
 cum aliis supradietis Sacrosancta Tri-
 dentina Synodus pro sacris , & canoni-
 cis suscepit , anathemaque indixit adver-
 santibus sess. 4. de Canonicis Scripturis.

Abusus quidem multos in Bracaren-
 sem Ecclesiam aduxerant Priscillianistæ :
 hymnos , scripturas , palmosque apochry-
 phos canere consueverant. De quibus ait

T

Mag. P. Augustinus Epist. 237. alias 253. *Inter se quidem diversa sentientes, unde suas quisque varias hereses sunt sequuti, sed scripturas istas habent in sua diversitate communes, easque illi precipue frequentare assolent, qui legem veterem, & Prophetas canonicos non accipiunt.* Hymnos igitur, & scripturas vulgares ab impiis viris, & idiotis introductos improbarunt. Bracarense Patres anno Christi 561. can. 12. improbavit etiam Martinus in sua collectione sicut & Laodicensis Synodus: minime vero improbatum sunt hymni sacri, quos viri Sancti ediderant Deum laudaturi. Agathense Concilium anno Christi 506. can. 30. quod Martinus ipse ob oculos habuit collectionem suam compositurus, ut supra est dictum, hymnos sacros, Ambrosianos praesertim, decantari iussit diebus omnibus, ad matutinum, & vespertinum officium.

Non assentiendum est Cennio, viro quidem erudito, qui tom. 1. Dissert. 1. cap. 2. n. 11. existimat ante annum 633. quo celebratum est Concilium Toletanum IV. per totam Hispaniam sacros

hymnos etiam Ambrosianos nondum esse receptos in Ecclesiasticis officiis: quod Bracarense Concilium can. 12. decerneret, ut *extra psalmos, vel canonicarum scripturarum novi, & veteris testamenti nihil poetice compositum psalleretur, sicut sancti præcipiunt canones.* Dicat Cennius: an quia Laodicensis Synodus psalmos ab idiotis compositos, & hymnos cantari vetuit in Ecclesiis, prohibuisse censenda est sacros hymnos? aut ipsi in Orientali Ecclesia nondum erant recepti? Si dicat; hospes erit in historia scriptor iste antiquitatum. Philo Judæus de vita contemplativa loquens de iis solitariis, qui circum Alexandriam degebant, inquit: *Itaque non solum contemplantur, sed etiam cantica, hymnosque in Dei laudem componunt vario metrorum, carminumque genere rhythmis concinnatos in augustiorem, ac religiosam speciem.* Augustinus lib. 9. Confessionum cap. 7. inquit Ambrosium in Mediolanensi Ecclesia instituisse, ut *hymni, & psalmi canerentur secundum morem Orientalium partium.* Unde sicut Laodicensis Synodus propter Paulum Samosatenum, qui teste

Eusebio lib. 7. Histor. cap. 30. psalmos in honorem Domini Jesus Christi canis solitos, quasi novellos abolevit, & quosdam alios in sui ipsius laudem canere instituit, canonem 59. edidit; ita & Martinus Bracarenfis 67. canonem collegit propter Priscillianistas in Bracarensem provinciam novos hymnos, & scripturas novas adferentes, quin sacros hymnos à sanctis, & piis viris editos improbaret.

LXVIII.

De eo, quod non liceat super monumenta mortuorum missam tenere.

Non oportet Clericos ignaros, & presumptores super monumenta in campo ministeria portare, aut distribuere Sacramenta; sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, ubi Martyrum reliquie sunt depositae, ibi pro defunctis oblationem offerre.

NOTA.

Hinc notum est primis Ecclesiae sæculis mortuos sepeliri consuevisse, aut in sepulcris cum monumentis superstructis in publicis viis, aut in fornicibus maioris securitatis causa factis in campis, & locis subterraneis. Primorum sæculorum Christiani, qui Romanis legibus in omnibus rebus per se innocentibus, & indifferentibus, nec cum suæ religionis regulis pugnantibus obtemperabant, legi huic Romanorum, & consuetudini parebant. Eorum enim tot leges erant, ne intra urbes sepelirentur mortui, sed extra civitates in agris, & ad vias publicas sepulcra communiter conderentur, uti Varro antiquus scriptor Romanus observavit lib. 5. de lingua Latina à Gothofredo citatus, rationem assignans, quo *prætereuntes admonerent & se fuisse, & illos esse mortales*. Per aliquot sequuta sæcula à Christianis Imperatoribus fuit interdictum intra civitates, & Ecclesias cadavera sepeliri. Theodosius lege 6. Cod. Theodos. de

sepulcris violatis novo edicto interdixit, & poenam non obtemperantibus nuntiavit. Sydonius Apollinaris Episcopus Gallicanus indicat lib. 3. Epist. 12. suo tempore fuisse morem in Gallia, ut mortui extra moenia civitatis in aperto campo humarentur: loquens enim de avi sui tumulo, campum esse dicit tam bustialibus favillis, quam cadaveribus repertum in publicis viis, ac suburbiis urbis Arvernæ. Postea Concilium Bracarense anno 563. hac de re loquitur, tamquam privilegio ad ætatem suam in Gallia civitatibus retento, & hoc tamquam argumentum adhibet, cur nullus intra Ecclesiam aliquam sepeliri debeat in Hispania ex can. 18. *Firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent Gallia civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum civitatum cujuslibet defuncti corpus sit humatum.*

Clericis igitur inhibitum est prædicto Martini canone 68. ne in campo super hujusmodi monumenta pro mortuis offerrent. Hinc etiam venit, ut nunquam super sepultura altare erigeretur, sed prius replendus sit locus ille, & si

prius jam sepultum fuerit eo in loco aliquod cadaver, prius sit extrahendum, seu ejus ossa, & cineres. Sic pluries decrevit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, & præcipue 13. Septembris anno 1593. *Altaria, sub quorum predellis cadavera sunt sepulta, licet propterea consecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec dicta cadavera, vel altaria in alium deferantur locum.* In Basilicis vero, aut Ecclesiis, ubi Martyrum reliquiæ deponebantur, semper sacrificium offerri permissum fuit. Id temporis Martyribus singularis honor jam erat tributus, ut sepulcra, in quibus illi conditi jacebant, in se ædificatas haberent Ecclesias; aut eorum cineres, & reliquiæ in civitatem translatae in Ecclesiis deponerentur, unde etiam *Martyria* dicebantur, ad quæ Christiani divini cultus gratia convenire consueverant. Hinc est communis usus, & Ecclesiæ consuetudo, quod in altarium consecratione sacræ reponantur reliquiæ, & Sacerdotes, dum ad altare ascendunt sacrum peracturi dicant: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt.*

LXIX.

De eo quod non liceat Christianis prandia ad monumenta portare.

Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulcra deferre, & sacrificare de re mortuorum.

NOTA.

GRatianus prædictos Martini canones 68. & 69. in unum collegit Dist. de Consecrat. cap. 29. Concilium Arelatense III. can. 5. inhibuit, ut laici, qui excubias funeris observabant, nec jocos, nec saltationes facerent, quæ pagani, docente diabolo, adinvenerant. Diabolicum esse ait, & non solum à religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinis ora dissolvi, ac omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte

exultare. Ad canonem istum respexit Martinus Bracarenfis. Abusus iste inde processit. Nonnulli enim eleemosynas quotannis in anniversaria commemorationis die defuncti repetebant, commune facere solebant convivium, religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles una cum Clero, egenos, & pauperes, pupillos, & viduas, ut fieret memoria requiei animabus defunctorum, sibi autem in odorem suavitatis in conspectu Dei, quemadmodum loquitur Origenes in Jobum lib. 3. pag. 437. Id tamen in magnos degeneravit abusus. Multi quippe cibi, potionisque pauperibus dandæ loco, occasionem captabant indulgendi comestationibus: quod vitium acerbissime vituperat Tertullianus de Resurrect. carnis cap. 1. in Gentilium parentationibus. Quarto sæculo tanta à quibusdam vitia ea occasione cõmittebantur, ut Manichæi tempore Mag. P. Augustini ea objicerent Catholicis: de Moribus Ecclesiæ lib. 1. cap. 34. inquit: *Novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates,*

*ebrietatesque suas deputent religioni.....
Nunc vos illud admoneo, ut aliquando
Ecclesie Catholicae maledicere desinatis,
vituperando mores hominum, quos &
ipsa condemnat, & quos quotidie tam-
quam malos filios corrigere studet. Nec
sola Ecclesia id prohibuit, verum &
Imperatores Christiani Arcadius, & Ho-
norius leg. 19. Cod. Theodos. de Paganis.*

LXX.

*De eo, quod non liceat Clericis,
vel laicis catholicis ab hære-
ticis eulogias accipere, aut
cū ipsis, vel schismaticis orare.*

Non liceat Clericis, vel laicis Ca-
tholicis ab hereticis eulogias ac-
cipere, quia maledictiones sunt magis,
quam benedictiones; neque licet, aut
cum hereticis, aut cum schismaticis o-
rare.

N O T A.

EX Canonibus 32. & 33. Concilii Laodicensis suum collegit Martinus: & ex Martino collegit Gratianus caus. I. quæst. I. c. 67. Prohibitio semper fuit Catholicis viris, ne quis cum hæreticis in ullis officiis religionis, & in eorum conventibus se conjungeret; unde Concilium Carthaginense IV. can. 71. inquit: *Hæreticorum cætus non Ecclesia, sed conciliabulum est, cum iis nec orandum, nec psallendum.* Non tantum Catholicis omnibus interdictum erat à Sacris Canonibus Laodicensis, & aliis, Hæreticorum cœmeteria, & conventus adire, sed etiam ulla ab iis munera sub Eulogiæ nomine accipere; quia hoc quædam cum illis communicatio erat; nam Eulogiæ istæ, sive sanctificati panes erant quædam ratio mutuam testificandi cõmunionem. Hinc Catholicis prohibita non est communicatio politica, conversatio, commercium, & convictus cum Hæreticis, si absit periculum subversionis. Christiani ipsi apud infideles quos-

cumque degentes possunt assumere eorum vestes, quibus natio illa uti consuevit, quæque non sunt infidelitatis, aut sectæ characteres, & protestativum signum, sed nationis tantum ornamentum. Hæreticorum tamen templa adire aliquando catholicis licet, veluti ut si quis illuc se recipiat, sive ut ab inclementia cœli, vel ut ab hostibus se tueatur: in casu publicæ utilitatis, ut si negotium aliquod ibi tractandum esset absque ordine ad cultum loci: doctis etiam viris licet ad detegendos, & confutandos errores, modo absit periculum propriæ subversionis.

LXXI.

De eo, quod non liceat Christianis observationes diversas attendere.

Siquis Paganorum consuetudinem sequens, divinos, & sortilegos in domo sua introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agant.

LXXII.

De eo, quod non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, & observare Lunæ, & Stellarum motus.

Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, & observare, vel colere elementa, aut Lunæ, aut Stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam pro domo faciendâ. Scriptum est enim: omnia quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesus Christi facite, gratias agentes Deo.

LXXIII.

De eo, quod non liceat Kalendas observare.

Non liceat iniquas observationes agere Kalendarum, & otiiis vacare Gentilibus, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos: omnis observatio paganismi est.

LXXIV.

*De eo, quod non liceat herbas
medicinales cum aliqua ob-
servatione colligere.*

Non liceat in collectione herbarum,
quæ medicinales sunt, aliquas ob-
servaciones, aut incantationes attendere,
nisi tantum cum Symbolo divino, aut o-
ratione Dominica, ut tantum Deus Crea-
tor omnium, & Dominus honoretur.

LXXV.

*De eo, quod non liceat mulieres
Christianas in lanificiis ali-
quid observare.*

Non liceat mulieres Christianas a-
liquam vanitatem in suis lanifi-
ciis observare: sed Deum invocent adju-
torem.

N O T A.

PRædictis canonibus, quos ex Conciliis Bracarenfi, & Laodiceno collegit Martinus, Gentilium superstitiones in Christianis condemnantur, utpote quæ baptismali foederi adversantur, ac partes sunt pompæ, ac cultus diaboli, cui in baptismo Christiani omnes se renuntiare profitentur. Priscillianistæ superstitionum observatores eas in Hispanias adduxerant, & rudem populum decipiebant, à dierum, temporum, stellarumque observatione multa falso repetebant; quod jure Martinus reprehendit, antiquioresque Patres damnarunt. Mag. P. Augustinus lib. 4. Confessionum cap. 22. inquit: *Ex ea (Stellarum) notatione velle nascentium mores, actus, eventaque prædicere, magnus error, & magna dementia est. Quare istæ opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quedam cum demonibus pacta, & conventa referende sunt. S. Joannes Chrysostronus Commentar. in Galat. i. conqueritur: Mul-*

ta gentium more apud nostros aliquot servantur, sortilegia, auguria, omina, ac dierum observationes, superstitiosa super genesim cura, & omnis impietatis plenæ litteræ, quas puerorum protinus, ut nati sunt, magno malo capitibus imponunt, ab ipso protinus exordio docentes illos virtutis adipiscendæ studium abjicere, & ad fallacem fati tyrannidem, quod quidem in ipsis est, illos adducentes. Concilium Rothomagense sub Clodoveo II. Francorum Rege can. 13. statuit: *Siquis in Kalendis Januariis aliquid fecerit, quod à paganis inventum est, & dies observet, & Lunam, & menses, & horarum effectiva potentia aliquid sperat in melius, aut in deterius veri anathema sit.*

Nec tantum Patres, & Sacra Concilia ex stellarum cursu eventus hominum prædicentes Astrologos damnarunt, verum & civiles leges eos de medio sustulerunt. Constantius Imperator leg. *Nemo* 4. Cod. Theodos. de Maleficiis anno Domini 357. divinandi, Divinosque, & Vates, Chaldæos, Mathematicos consulendi quoscumque morem, & curiositatem

tatem omnibus interdixit sub gladii poena: *Sileat omnibus perpetuo divinandi curiositas: etenim supplicium capitis ferret gladio ultore prostratus, quicumque jussis obsequium denegaverit.* Tanta semper fuit Christianis erga gentilium consuetudines abominatio, ut plurimæ extent Imperatorem leges Cod. tit. de Paganis ad eas omnino evertendas à populo Dei. Unde Judex competens hujusmodi superstitionum, si superstitioni addiderint hæresim, est sacrum, ac rectissimum S. Officii Tribunal; si non addiderint, non solus Ecclesiasticus Judex, sed etiam laicus potest agnoscere, & datur locus præventioni, cum sit crimen mixti fori, ut ex prædictis canonibus, & civilibus legibus constat.

Martini canonibus minime damnatur Astrologia naturalis, quæ ex astrorum, maxime planetarum ortu, occasu, conjunctione, oppositione, varioque aspectu tum inter se, tum ad stellas fixas, de futuris elementorum affectionibus conjectat, quæ naturaliter contingunt: & sic prædicat eclipses, pluvias, siccitates, pestes, salubritates, frigora, calo-

306 VETUS CANONUM CODEX
res, grandines, ventos, & alia hujus-
modi. Nec à Sixto V. nec ab Urbano VIII.
in suis Constitutionibus prohibita est;
sed ea tantum judiciaria prædicens e-
ventus pendentes ex libera hominum vo-
luntate, ac casus fortuitos. Quis homo
prudens, & Catholicus credat Astrolo-
gum judicarium ex astris posse colli-
gere Paulum v. g. tali morte, tali tem-
pore, & loco moriturum, futurum ho-
mucidam, furem, Episcopum, & simi-
lia? Similis igitur prædictio referenda
est ad disciplinam malignorum spirituum,
& occultam eorum societatem.

LXXVI.

De Adulteris.

S *I* cuius uxor adulterium fecerit, aut
vir in alienam uxorem irruerit, se-
ptem annis pœnitentiam agat.

N O T A.

E X Can. 19. Concilii Ancyрани ex-
scripsit Martinus. Id vitium inter
enormia omni tempore iudicavit Eccle-
sia. S. Basilius Magnus can. 58. quinde-

decim annos pœnitentiæ adulterio præscripsit: *Qui adulteravit, quindecim annis Sacramentis non communicabit.* Eliberitana Synodus can. 69. quinque annis pœnitentiam illos agere jubet, qui semel in adulterium fuere lapsi; decem annis qui denuo illud commiserint: si quis vero per totam vitam in hoc peccato perseveraret, nec in fine ei danda erat communio ex can. 64. Jure Canonico Decretalium adultero aufertur jus exigendi debitum conjugale, & conceditur quod innocens possit facere divortium quoad thorum, & habitationem auctoritate Judicis Ecclesiastici ex cap. *Porro* 3. de Divortiis. Et quoad hanc facultatem divortii maritus, & uxor sunt paris conditionis, ut possit tam mulier innocens divertere à reo marito, quam maritus innocens ab uxore delinquente ex cap. *Siquis uxorem* causa 32. quæst. 1.

Lex etiam civilis, tam sub Ethnicis, quam Christianis Imperatoribus id crimen capitale facit, sicut variis exemplis ostendit Gothofredus in Cod. Theodos. tit. *Quorum appellationes* leg. 4. Magnum quidem crimen est, cujus pœna

atrocissima erat. Opilius Macilius adulteri reos vivos simul incendit junctis corporibus, teste Capitolino. Et Constans Constantini filius eandem poenam adulteris constituit, quam parricidis: quæ erat, ut vel vivi comburerentur, vel culeo infusi cum serpente, simia, gallo galinaceo, & cane in mare præcipitarentur, ex suprascripta lege 4. Hoc unum de criminibus erat, quibus Imperatores in celebritate Paschali nec indulgentiam tribuere, nec appellationem ad se à iudice in reorum gratiam permittere volebant, quemadmodum non solum ex illa Constantis lege, sed & ex diversis aliis apparet in eodem Cod. Theodos. tit. de Indulgentiis criminum, & quorum appellationes. Ex iis tamen unam, quæ est 3. de Indulgentiis criminum à Valentiniano, & Valente prolatam anno Domini 367. adferam: *Ob diem Pasche (quem intimo corde celebramus) omnibus, quos reatus adstringit, & carcer includit, claustra dissolvimus: attamen sacrilegus in Majestate reus, in mortuos, veneficus, sive maleficus, adulter, raptor, homicida, communionem istius muneris separentur.*

Tanta erat Juris civilis erga adulteros austeritas, ut ex legibus ad legem Jul. de adulteriis, & aliis Patri, aut marito liceret impune occidere adulterum deprehensum cum filia, aut uxore adultera. Quamvis hujusmodi occidens in foro externo non puniatur propter vehementem, justumque eo casu dolorem, per Jus canonicum correctum est Jus civile; & à peccato non liberatur, qui adulteram, adulterumve deprehensum occiderit. Hinc ab Alexandro VII. 24. Septembris anno 1665. fuit damnata hæc propositio 19. in ordine: *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

LXXVII.

De Mulieribus fornicariis, & abortum facientibus.

Siqua mulier fornicaverit, infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit, & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est, necare; aut certe, ut non concipiat, elaborat; sive ex adul-

terio, sive ex legitimo conjugio; has tamen mulieres nec in morte recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia, sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam judicamus.

N O T A.

ID etiam erat stabilitum can. 20. Concilii Ancyрани, unde collegit Martinus. Igitur medicamentorum usus ad abigendum fœtum, sive alius quicumque modus eum interficiendi, pro specie cædis semper est habitus, & punitus. Non solum in memorato canone Ancyrano id fuit definitum, sed & in Basili 2. & 8. canone. Tertullianus Apolog. cap. 9. objectioni respondens Ethnicorum, qui Christianos sanguinem infantis in lacris suis mysteriis bibere calumniabantur, ait: *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui*

est futurus: & fructus omnis jam in semine est. Crimen istud erat, quod vetus lex Romana exilio, & aliquando supplicio mulctabat. Cicero in Oratione pro Cluentio Avito scripsit se, cum esset in Asia, vidisse Milesiam quamdam mulierem, quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis fuisse damnatam: neque injuria: quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum reipublicæ civem sustulisset. Severus, & Antoninus leg. 4. ff. de Extraordinariis criminibus rescripserunt eam, quæ, data opera, partum abegit, à præside in temporale exilium dandam. Conquerebatur tamen Tertullianus hujusmodi leges suo tempore negligi, & contemni.

Sixtus V. Summus Pontifex in Bulla 87. *Effrænatam* in abortum facientes, aut procurantes foetus animati, pœnas omnes indixit, quæ infigi solent adversus eos, qui homicidium voluntarium actu, & re ipsa patnaverint. Si Clerici essent, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & Beneficiis ipso fa-

Et o privavit, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decrevit; ad Sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare prohibuit: excommunicationem quoque indixit, soli Romano Pontifici reservatam, præterquam in articulo mortis. Gregorius XIV. Sixti V. Decretalem temperavit Bulla, quæ incipit *Sedes*, quatenus, qui abortum procuraverunt, a peccato, & excommunicatione propter illud contracta absolvi possunt a quolibet *Confessario tam seculari, quam Regulari ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputato*. Eandem Sixti constitutionem Gregorius limitavit, & ad terminos juris communis redegit quoad eos, qui foetus inanimati abortum procurant, aut mulieribus sterilitatis venena ministrant, aut qui consilium, vel auxilium præbent: unde ii hodie non subjacent excommunicationi. In materia abortus duas propositiones damnavit Innocentius XI. 1. *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. 2. *Videtur pro-*

habile omnem fœtum quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. Sic in Decreto edito die 2. Martii 1679.

LXXVIII.

De homicidio voluntario, & non voluntario-

S *Iquis voluntarie homicidium fecerit, ad januam Ecclesie Catholice semper subjaceat, & communionem in exitu vite sue recipiat. Si autem non voluntarie, sed casu aliquo homicidium fuerit factum, prior canon septem annis agi pœnitentiam jussit, secundus canon quinque mandavit.*

NOTA.

C *ollectus est iste canon ex 21. & 22. Ancyrano: & ex Martino collegit Gratianus Dist. 50. cap. 44. Grande homicidii peccatum per quarundam Ecclesiarum leges vetustissimas observat Al-*

baspinæus lib. 2. cap. 15. perpetuæ pœnitentiæ ad finem usque vitæ fuisse subiectum, & in ipsa mortis hora communionem, & veniam alienam: fundatur in Tertulliano cap. 12. de Pudicitia, ubi ait: *Neque idolatriæ, neque sanguinis pax ab Ecclesia redditur.* Per Ecclesiam hoc loco Tertullianum Montanistarum sectam, cui erat addictus, non intellexisse, sed Ecclesiam Catholicam, inde collegit Albaspinæus cum aliis viris doctis, quia contra Catholicos arguatur, quod adulteris pacem Ecclesiæ debeant denegare ex eadem ratione, & regula, qua idolatris, & homicidis negarent. Quidquid sit in præsentia de intelligendo Tertulliani sensu. Concilium Ancyranum homicidas voluntarios per omnem vitam pœnitere, in finem autem recipi jubet. Basilius can. 56. voluntario homicidæ viginti annorum pœnitentiam injunxit; quatuor annis eum jubet flere stantem extra fores oratorii, fideles ingredientiæ rogare, ut pro eo precentur, & suam iniquitatem enuntiare: post quatuor annos inter auditores recipi, & quinque annis cum ipsis egredi; septem

autem annis cum iis, qui in substratione erant, orantem egredi. In quatuor annis solum stabat cum fidelibus, sed non erat oblationis particeps: iis expletis, Sacramenta recipiebat.

Tridentina Synodus sess. 14. cap. 7. statuit, ut *qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo careat; si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut si quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quaecumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniore Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit. Stante hoc decreto,*

Concilii ejusdem Congregatio die 1. Septembris anno 1588. & die 6. Julii anno 1599. censuit ex homicidio mere casuali, cum nulla penitus fuerit admissa culpa, & in quo non dabatur opera rei illicitæ nullam oriri irregularitatem, & Concilium loqui de eo, qui fuisset in aliqua culpa, & ideo indigeret dispensatione.

LXXIX.

*De muliere, quæ duos fratres
conjugio, vel viro, qui duas
sorores habuerit.*

Siqua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, à communione abstinenceatur usque ad mortem; in morte autem eis communio pro misericordia detur. Si autem supervixerint, communione accepta, & de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

N O T A

Sic legitur in Can. 2. Neocæsariensi; & hac pœna damnatur incestus ille. Basilius can. 78. iis, qui diversis temporibus duas sorores matrimonio sibi junxerant, quindecim annorum pœnitentiam indixit. Constantius Imperator legem edidit, quæ est 2. Cod. Theodos. tit. de incestis nuptiis, qua hujusmodi conjugia damnavit: *Etsi licitum veteres crediderant, nuptiis fratris solutis, ducere fratrem uxoris, & post mortem mulieris, vel divortium, contrahere cum ejusdem sorore conjugium: abstineant hujusmodi nuptiis universi, nec asistent posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari.* Lege quidem veteri in Deuteronomio cap. 25. v. 5. permissum erat, ut quando fratres simul habitarent, & unus ex eis absque liberis mortuus esset, uxor defuncti non nuberet alteri, sed acciperet eam frater ejus, & suscitaret semen fratris sui. Verum Evangelii lege lex illa fuit abrogata, & tot canones adversus hujusmodi nuptias prolati sunt,

inter quos celebratur sexagesimus primus Eliberitani Concilii: *Siquis post obitum uxoris suæ sororem ejus duxerit, quinquennium à communione placuit abstinere, nisi forte dari pacem velocior necessitas coegerit infirmitatis.* S. Basilius adversus id generis matrimonia fuisse disputat Epist. 197. ad Diodorum Tarsensem, cujus nomine liber quidam fictitius circumfertur, in quo ea defenduntur.

Cum hujusmodi affinitas sit impedimentum ab Ecclesia introductum, à Romanis Pontificibus potest dispensari, & sæpe est dispensatum. Innocentius III. cap. *Deus* 9. de Divortiis concessit conversis ad fidem, ut desponsatas viduas relictas à suis fratribus possent sibi tamquam legitimas uxores retinere: *Propter infirmitatem gentis ejusdem concedimus (inquit ille) ut matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur: & prohibuit ne tales sibi de cætero, postquam ad fidem venerint, copulent.* Alexander VI. cum Felicissimo Emmanuele Lusitaniæ Rege dispensavit, ut duceret Mariam Ferdinandi, & Elisabethæ Catholicorum Regum filiam, & Elisabethæ primæ uxo-

ris sororem. Sic Julius II. Henrico VIII. Angliæ Regi concessit, ut Catharinam fratris sui Arturi viduam matrimonio haberet : quam dispensationem cum irritam esse imperite simul & impie contendisset Henricus, ut quam efflictim deperibat, Annam Bolenam duceret, Clemens VII. consultis illustribus totius terrarum orbis Universitatibus, & post grave, ac maturum consilium, eandem validam, ac legitimam fuisse pronuntiavit. Similes dispensationes erga Principes, ac Reges operosum quidem esset omnes adducere, quas regnorum historiæ passim referunt.

LXXX.

De his, qui nuptiis irruunt.

Siquis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat; conversatio autem, & fides pœnitentis compendiat tempus.

N O T A.

Quidam Canones secundas, tertias, & quartas nuptias acriter stringunt; quamvis eas non damnent, ut illicitas, aut malas, quod impie, & falso fecerant Montanistæ, & Novatiani, ut de secundis nuptiis supra est dictum ad can. 38. Martini: ad ea impedienda nonnulli propendebant, ac certum pœnitentiæ tempus eis imponebant. Concilium Neocæsariense can. 3. statuit idem quod Martinus Bracarenfis: *De iis, qui in plurimas nuptias incidunt, tempus præstitutum esse manifestum est. Sed conversatio eorum, & fides tempus abbreviat.* Gratianus caus. 32. quæst. 7. c. 9. ita legit: *Ut fides pœnitentis tempus comprehendat.* De multis nuptiis duriores locutiones extant apud Athenagoram, Irenæum, Origenem, Gregorium Nanzianzenum, Chrysostomum, & Hieronymum, quas congeffit Cotelarius in notis ad Constitut. lib. 3. cap. 2. Nullus tamen ex iis Patribus eas ut illicitas, & malas existimavit. Augustinum hac de
re

re loquentem audiamus lib. de bono viduitatis cap. 12. *De tertiis, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere questionem. Unde ut breviter respondeam, nec ulias nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitatis hujus responsionis forte displiceat, uberius disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim adfert aliquam rationem, quare secunda nuptia non damnentur, tertia damnentur: nam & ego non audeo plus sapere, quam oportet sapere. Quis enim sum qui putem definiendum quod nec Apostolum video definiisse? Ait enim: mulier alligata est quamdiu vir ejus vivit. Non dixit, primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus; sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit. Quid huic sententiae, quantum ad hanc rem adinet, addi, vel detrahi possit, ignoro... Quapropter nec contra humane verecundiae sensum audeo dicere, ut quoties voluerit,*

viris mortuis, nubat fœmina: nec ex meo corde præter scripturæ sanctæ auctoritatē quantaslibet nuptias audeo condemnare. Quod autem dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ: Beatior eris, si sic permanferis. Hactenus Augustinus de multis nuptiis. Vide etiam de hac re Eugenii IV. Decretum pro Armenorum instructione, & supra adductum ad can. 38. *de Presbyteris ut in secundis nuptiis non vadant.*

Ex Decretalium jure cap. 1. de secundis nuptiis Alexander III. Capellannum, quem benedictionem cum secunda constiterat celebrasse, ab officio, beneficioque suspensum, Sedem Apostolicam adire jussit. Et Urbanus III. cap. 3. eodem tit. ait: quod *Vir, vel mulier ad bigamiam transiens non debet à Presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Ex quo textu argumento inferunt Auctores benedicendos esse conjuges in secundis nuptiis, si neuter ex ipsis fuerit benedictus in primis nuptiis. Quarundam Ecclesiarum ritu secundæ nuptiæ benedicuntur, cum vir secundam

LUSIT. ECCLES. CAN. LXXXI. 323

uxorem virginem ducit, ut notant Glossa canonis *Vir 3.* supra allati, & S. Carolus Borromeus in Instructionibus de Sacramento Matrimonii: *Caveat*, inquit, *ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat Sacerdos; sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Si vero ea consuetudo usquam est, ut si mulier nemini unquam nupsit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea utendum est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir numquam duxerit.*

LXXXI.

De his, qui se animalibus commiscuerunt.

Siquis ante viginti annos in cujuslibet animalis commixtionem peccaverit; quindecim annis in humilitate subjaceat ad Ecclesie januam; & post hos alius quinque annis in orationis tantum communionem receptus, pœnitentiam agat, & sic gratiam Sacramenti suscipiat. In-

terrogentur autem alii de eo, qualem vitam in pœnitentia egerit, & sic communionis misericordiam consequatur. Siquis autem post viginti annos habens uxorem huic peccato irruerit, viginti humilitate subjaceat, & quinq; annis orationibus tantum communicans, postea recipiat Sacramentum. Quod si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit; Sacramentum nec in exitu consequatur; oportet enim tales inter demoniosos ordinare.

N O T A.

Idem decrevit Concilium Ancyranum can. 15. Flagitium istud bestialitatis omnium peccatorum contra naturam est gravissimum, utpote quod inter diversas species maxime repugnat naturæ. Glossa indicat de hoc peccato loqui scripturam Genesi 37. v. 3. cum de Joseph dicitur: *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Dominus Levitici cap. 20. v. 15. præceperat: *Qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite.* Quod nunc apud Catholicos in judiciis observatur; præsertim in Lusitania ubi ex ordinatione Regia lib. 5. cap. 13. in cine-

res rediguntur, qui eo peccato deliquerint. Apud Tertullianum lib. de pudicitia cap. 4. Ecclesia non modo limine, sed omni tecto hujusmodi delinquentes submovebat. *Quia non erant delicta, sed monstra.* S. Basilius can. 62. adulterorum pœnitentiam, id est, per viginti annos continuandam imposuit tam iis, qui cum brutis, quam eis, qui cum maribus foeda perpetrarent: & can. 7. aliquando terminum ad triginta annos extendit, comparans hæc peccata cum homicidio, idolatria, veneficio, quæ omnia eadem condemnatione digna haberi dicit.

Circa hoc peccatum aliquorum Auctorum opinionem proscripsit Alexander VII. & damnavit propositionem in ordine 24. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Ad bestialitatis speciem reducitur coitus viri, aut sceminae cum dæmone succubo, vel incubo, nam licet dæmon assumat formam hominis, de facto tamen specie ab illo differt. Hinc est quod Martinus in prædicto canone eos pœnitentes numeret inter *demoniosos.*

LXXXII.

*De his, qui usque ad finem vitæ
in peccatis perdurant, & in
exitu communionem acci-
piunt.*

S *Iquis de corpore exiens, nevisimum,
& necessarium communionis viaticum
expetit, non ei denegetur. Quod si in des-
peratione positus post perceptam commu-
nionem, iterum sanus fuerit factus, tan-
tum orationis particeps sit, nam non ac-
cipiat Sacramentum, donec constitutum
pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in
exitu mortis sunt, & desiderant accipere
Sacramentum, cum consideratione, &
probatione Episcopi accipere debeant.*

NOTA.

I *Dem statuerant Nicæni Patres can. 13.
de extreme laborantibus. Quid vox
illa Viaticum significet, non una est scri-
ptorum sententia. Zonaras, & Balsamon*

Sacram Eucharistiam designari putant. Alii cum Aurelianensi Episcopo Albaspinæo in can. 13. Nicænum intelligunt verbo *Viaticum* simplicem cõunionem, & jus communicandi, quod pœnitentibus tali præsertim tempore, vel absolutione peccatorum, vel privata quadam manuum impositione concedebatur. Verbum enim *necessarium* Viatico conjunctum Eucharistiam non exprimit, quæ vere necessitate absoluta non est necessaria, quo pœnitens de sua salute certus fiat, & flammam numquam desituras evadat: cui periculo, ac discrimini Nicæni Patres, & postea Martinus Bracaraensis hoc canone prospicere, & providere voluerunt.

Postrema vero canonis parte verbo *Sacramentum* de Eucharistia mentionem fieri omnes fere Interpretes consentiunt. Sententia ergo hæc erat in morte pœnitenti absolutionem negari non debere: quod si præter absolutionem copiam sibi fieri Eucharistiæ postularet, Episcopi esset examinare, & vestigare ejus mores, quibus probe, scienterque cognitis, sententiam ferret. Totus iste canon gene-

ratim de omni Christiano loquitur, qui in extremo vitæ periculo pœnitentiam, & veniam peccatorum postulabat, sive eam tum primum postulasset, sive antea postulasset, ac pœnitentiam inchoasset. Generalia verba esse quis neget: *Siquis de corpore exiens & alia, Qui in exitu mortis sunt?* Vetus hæc disciplina Eucharistæ denegandæ quandoque pœnitentibus, etiamsi morientes peterent, non sola in Hispania viguit, sed & in Africa. Concilium Carthaginense II. can. 4. statuit: *Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare.* Quo canone manifestum est nonnisi Episcopi jussu morientibus pœnitentibus concessam fuisse Eucharistiam.

Non tantum ex Martini canone constat semper fuisse Ecclesiæ mentem, & praxim, ut morituris pœnitentiam, & veniam petentibus subveniretur per Sacramentalem à peccatis absolutionem; verum & ex Concilio Tridentino sess. 14.

LUSIT. ECCLES. CAN. LXXXIII. 329
cap. 7. ubi occasione reservationis casuum
sic dicitur : *Pie admodum , ne hac ipsa
occasione aliquis pereat , in eadem Eccle-
sia Dei custoditum semper fuit , ut nulla
sit reservatio in articulo mortis : atque
ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœni-
tentes à quibuslibet peccatis , & censu-
ris absolvere possint. Audi dicentem Sy-
nodum : in Ecclesia Dei custoditum sem-
per fuit , ut nulla sit reservatio in ar-
ticulo mortis .*

LXXXIII.

*De his, qui intrantes Ecclesiam
per nimiam luxuriam Sacra-
mento abstinent.*

Siquis intrat Ecclesiam Dei, & Sa-
cras Scripturas audit, & pro luxu-
ria sua avertit se à communione Sacra-
menti, & in observandis mysteriis de-
clinat constitutam regulam discipline,
istum talem projiciendum de Ecclesia Ca-
tholica esse decernimus, donec pœniten-
tiam agat, & ostendat fructum pœniten-
tiæ suæ; ut possit communionem perce-
pta indulgentia promereri.

N O T A.

EX Can. 2. Concilii Antiocheni sum confecit Martinus: & legitur apud Gratianum can. 18. Dist. 2. de consecratione. Baronius ad annum Christi 341. n. 44. ait ex prædicto canone 83. colligi in Ecclesia Catholica per simplicem Confessionem non dimitti peccata, nisi digna sequatur satisfactio. Adversus Audæanos Antiocheni Patres illum edidere: Audæus enim, teste Theodoro Hæretic. Fabul. lib. 4. prætexit se fugere communionem Ecclesiæ propter fæneratores, & eos, qui cum mulieribus cohabitabant, quamvis multa etiam ab eis graviora perpetrarentur peccata. *Se jactabant Audæani (progredditur Theodoretus) peccata remittere hoc scilicet modo: postquam enim sacros libros una cum adulterinis, Obipartito, diviserint (eos enim admirandum in modum arcanos, & mysticos existimant) hinc, & illinc per versus posuerint; iubent unumquemque per eos transire. & quæ à se peccata sunt, confiteri. Deinde confessis donant*

LUSIT. ECCLES. CAN. LXXXIII. 331
remissionem, non tempus ad pœnitentiam,
ut jubent leges Ecclesiæ, præscribentes,
sed sua potestate condonantes. Id ab An-
tiochenis Patribus apud Baronium justif-
sime damnatur.

Glossa in can. prædictum apud Gra-
tianum Dist. 2. de Consecratione intelli-
git de iis, qui in Ecclesiam ingressi, &
sacras audientes scripturas se abstinere à
communione Corporis, & Sanguinis Do-
mini pro luxuria, sive *superstitione*: non
quod male agant se abstinendo à sacra
mensa propter peccata, quibus sunt no-
xii; sed quia in peccatis suis incorrigi-
biles perseverant, nec de pœnitentia
cogitant: imo pœnitentiam existimant
tantum à communione sacra abstinere.
Hos corrigit etiam Ambrosius lib. 2. de
pœnitentia cap. 7. apud Gratianum cap. 56.
Dist. 1. de pœnitentia: „ Sunt qui arbi-
„ trentur hoc esse pœnitentiam, si absti-
„ neant à Sacramentis cœlestibus. Hi se-
„ veriores in se iudices sunt, qui pœnam
„ præscribunt sibi, declinant remedium,
„ quos vel pœnam suam conveniebat do-
„ lere, quia cœlesti fraudarentur gratia...
„ Nemo in peccatis positus arrogare sibi

„debet auctoritatem, aut usurpationem
 „Sacramentorum... dicimus ergo, & a-
 „gendam pœnitentiam, & eo agendam
 „tempore, quo culpæ defervescat luxu-
 „ria, & in captivitate peccati positos,
 „reverentiores nos, non usurpatores
 „esse debere.

LXXXIV.

De excommunicatis.

Non liceat communicare excommu-
 nicatis, neque in domos eorum in-
 troire, neque orare cum eis, neque liceat,
 ut in alia Ecclesia segregentur. Si autem
 aliquis Episcopus, aut Presbyter, aut
 Diaconus, aut quilibet Ecclesiasticus ex-
 communicato communicaverit, quasi per-
 turbans omnem disciplinam Ecclesiasti-
 cam excommunicetur.

NOTA.

EX Canone 2. Antiocheni Concilii,
 quem in duos divisit Martinus,
 confectus est iste. In excommunicato-
 rum domos intrare prohibebantur fideles;

neminem enim Patres cum excommunicatis tecti, vel mensæ participem esse volebant: Paulum Apostolum, & Magistrum sequebantur dicentem 1. ad Corinthios cap. 5. v. 4. *Nunc scripsi vobis, ne commisceamini. Siquis, cum frater nominatur, sit scortator, aut alieni evidus, aut idolatra, aut conciliator ... cum ejusmodi, inquam, ne edatis quidem.* Severæ conditæ sunt leges ad prohibendam omnem familiaritatem cum excommunicatis in quotidiana conversatione, nisi absoluta quædam necessitas, vel maior aliqua, magisque urgens consideratio moralis aliter eos facere juberet: quod Theologi postea hoc versiculo exposuerunt: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Cum excommunicatis orare interdicebantur fideles: ac si in manifesta rebellionem, & pœnitentiæ contemptu morerentur, tractabantur, ut omnes reliqui divinarum institutionum contemptores, dum Christianæ sepulturæ honos, ac beneficium eis denegabatur. Nulla psalmodiæ, & precum solemnitas in eorum exequiis adhibebatur, neque unquam inter fideles de diptychis recita-

bantur, quemadmodum in precibus ad altare fieri consueverat; sed eorum nomina Ecclesiastico albo eradebantur.

Neque licebat excommunicatis, *ut in alia Ecclesia segregarentur*, aut susciperentur. Quicumque enim ita excommunicatus erat in una Ecclesia ex prædicto canone Antiocheno, in omnibus Ecclesiis excommunicatus censebatur. Tam perfecta erat Catholicæ harmonia, & consensus, ut unaquæque Ecclesia prompta esset ad ratos habendos, & confirmandos omnes disciplinæ actus, quos erga fontes quæcumque alia Ecclesia decrevisset: ita ut qui in una Ecclesia legitime erat excommunicatus per leges unitatis catholicæ, & justæ disciplinæ regulas in omnibus Ecclesiis excommunicatus haberetur; nec ulla eum Ecclesia recipere posset, aut vellet, antequam Ecclesiæ, cujus membrum fuerat, fecisset satis. Id constat ex can. 6. Concilii Antiocheni: *Siquis à proprio Episcopo fuerit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit à proprio Episcopo susceptus, vel facta Synodo accedens se defenderit, & persuasa Synodo,*

LUSIT. ECCLES. CAN. LXXXIV. 335
aliam sententiam retulerit. Plures etiam
canones in eadem sententia inveniri pos-
sunt ex Conciliis Eliberitano, Sardicensi,
Milevitano, Arelatensi I. Taurinensi,
& Cæsaraugustano. Per hanc regulam
Cornelius Papa Felicissimum Romæ
ad communionem admittere recusabat,
quod esset Carthagine à Cypriano de
Ecclesia pulsus, ut testatur ipse Cy-
prianus Epist. 55. alias 59. ad Cor-
nelium. Etiam Mag. P. Augustinus E-
pist. 235. alias 64. ad Quintianum E-
piscopi sui Aurelii censuræ subjacentem
ait: *Manifestum est quidem, quod si ad nos
venires, venerabili Episcopo Aurelio non
communicans, nec apud nos posses commu-
nicare: sed ea charitate nos faceremus,
qua & illum facere non dubitamus.*

Hujus praxis rationes, & fundamen-
ta hæc sunt ex sapientibus consiliis, &
christiana prudentia, & charitate. I. ut
peccatoribus iis incuteretur pudor, ipsi-
que ex pudore ad resipiscendum perduce-
rentur, ut ait Apostolus 2. ad Thessaloni-
censes cap. 3. v. 14. *Notate hunc homi-
nem, & ne cōmercium cum eo habete, ut
erubescat.* 2. ut eorum exemplo terrerentur

alii juxta canonem 8. Concilii Turonensis I. 3. ne aliorum peccata participarentur; si ex familiari cum eis consuetudine favere iis viderentur, futurum erat, ut in iniquitate sua obdurescerent; & ii, qui ad hoc aliquid conferrent, eandem cum improbis illis culpam sibi contraherent: ex Cypriano lib. de Unitat. Ecclesiae. 4. ut contagio devitaretur: nam conversari cum malis, & profanis hominibus est suas ipsius virtutes exponere periculo. Mala enim consuetudo corrumpit bonos mores. Unum membrum morbo contaminatum saepe universum corpus destruit. Ob has igitur, similesque rationes, quando Ecclesia publicos quosdam peccatores communione sua penitus excluderat, reliquos omnes ab eorum consuetudine prohibebat, idque tam in gratiam peccatorum ipsorum, quam justorum, ne illi impoenitentia obfirmarentur, nec hi contagione sceleris corrumparentur.

En veterem canonum Codicem à Martino Bracarenfi Archiepiscopo collectum: en veterem Ecclesiae Lusitanæ disciplinam sanctam, & puram nullo er-

LUSIT. ECCLES. CAN. LXXXIV. 337


rore conspersam, Sacris Conciliis, quæ ante Martinum fuerant adunata, cohærentem: in nostræ Ecclesiæ ornamentum, & lucem notis, & commentariis nunquam editis evulgavi, nec non Dei, ac Beatissimæ Virginis Academiæ Liturgiæ Protectricis gloriam, & honorem.

E R R A T A.

<i>Pag.</i>	<i>Linea.</i>	<i>Errata.</i>	<i>Corrige.</i>
1.	11.	Conciliorum	Conciliarum
24.	27.	Synodum	Synodorum
126.	9.	Episcopum	Episcoporum
241.	13.	legis adde	Abrogandæ
269.	14.	Partem adde	Tertiam.

Y

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and includes some lines that appear to be underlined or separated by horizontal lines. The characters are very light and difficult to discern against the aged paper background.



INDEX RERUM

NOTABILIMUM.

A

- A** *Bortus pœna, can. 77. pag. 309.*
 & seq.
- Absolutio Sacramentalis in mortis articulo nemini deneganda, can. 82. p. 327.*
- Acolytorum munus, can. 41. p. 219.*
- Adoratio Dei quo gestu fieret die Dominico, & à Pascha usque ad Pentecosten, can. 57. p. 259.*
- Adulterii pœna, can. 76. p. 306.*
- Altare super sepultura non erigendum, can. 68. p. 294.*
- Archiepiscopus antequam pallium accipiat, Metropolitæ jurisdictionem non exercet, can. 4. p. 96.*
- Astrologia judiciaria damnatur, p. 305.*
naturalis non damnatur ibid.

B

- B** *Aptismo dies olim destinati*, can. 49.
 pag. 240. aliquibus tamen exceptis
 causis, can. 49. p. 239. & can. 54. p. 251.
Baptismi Minister, can. 53. p. 249.
Beneficiati ad Divinum Officium recitan-
dum tenentur, can. 63. p. 274. quas pœ-
 nas incurrant, si non recitent, *ibid.*
Bestialitatis crimen qua pœna puniatur,
 can. 81. p. 324.
Bigamie interpretative irregularitas,
 can. 26. p. 168. à quo dispensanda, p. 169.
Bracare primatus, can. 4. p. 90. & seq.

C

- C** *Anonum Codex ad seculum usque 4.*
 pag. 3. §. 1. *Ad seculum 5. §. 2. p. 13.*
ad seculum 6. §. 3. p. 21. ad seculum 8.
 §. 4. p. 43.
Canones Apostolici Hispanis ignoti secu-
lo 4. §. 1. p. 8. Apostolis abjudicantur
 §. 1. p. 8.
Carnes non execrande, can. 58. p. 260.
Catechumeni quando in Quadragesima
nomen darent, can. 49. p. 237.

Chrismatis Sacri Minister quis, can. 51. & 52. p. 244. & seq. Quando consecrandum ibid.

Clerici excommunicati ab Horarum Canoniarum recitatione non liberantur, sed à sacris faciendis, can. 37. p. 207. uni Ecclesie adscripti, can. 5. p. 100. A quo Episcopo ordinandi, can. 23. p. 190.

Clericorum conjugia, can. 29. p. 176. & seq. eorum cohabitatio cum mulieribus, can. 32. p. 185. eorumdem fornicatorum pœna, can. 27. p. 171. pœnitentia publica, p. 173.

Conciliorum generalium canones quando inceperint, p. 4. §. 1. eorum multitudo in Hispaniis ficta, p. 6. §. 1.

Concilii nomine quid veniat in Martini præfatione §. 3. p. 41.

Concilii Chalcedonensis canones quot à S. Leone accepti, §. 3. p. 30.

Conjugium cum sorore uxoris, aut cum fratre viri prohibetur, can. 79. p. 316.

D

- D** *Iaconorum continentia, can. 39. p. 214.*
eorū superbia olim repressa, can. 40.
pag. 216. iidem Presbyterorum Mini-
stri ibid. ipsorum officia, ibidem.
Dionysii Exigui collectio §. 3. p. 26.
Martino Bracarenfi ignota §. 3. p. 28.
non erat in usu apud Hispanos §. 3. p. 31.
§. 4. p. 50.
Discussio ad Presbyteratum, & Diacona-
tum, can. 24. & 25. p. 166.
Dominica dies quo ritu sanctificabatur,
can. 64. p. 276.

E

- E** *Cclesia Africana quid iudicat circa*
canones Sardicenses §. 2. pag. 17. e-
jusdem conjunctio cum Hispanica §. 1.
p. 6.
Ecclesia Hispaniensis suarum traditionū
retinentissima, p. 2.
Ecclesiarum Orientalis, & Occidentalis
judicium circa canonum collectionem
seculo 5. §. 2. p. 13.

Ecclesiarum res, & bona quomodo dispensabantur ac ministrabantur, can. 14.

15. & 16. p. 129. & seq.

Episcopi quot ad Episcopi consecrationem, can. 2. & 3. p. 77. & seq. eorum electiones Papæ reservatæ, can. 3. p. 81. ipsorum causæ criminales ad Romanum Pontificem deferentur, can. 4. p. 94. translationes quomodo prohibentur, can. 5. p. 97. eorum residentia, can. 6. & 7. p. 103. & seq. iudicium quomodo subeant, can. 13. p. 126.

Episcopus intrusus, can. 9. p. 115. vagans can. 10. p. 117. quo honore reciperetur, ibid. Titularis, p. 118. suæ Sedis contemptor, can. 11. p. 121. seditiosus can. 12. p. 121.

Epistolæ nothe ante Siricium in Hispano Codice desiderantur, §. 4. p. 49. & 53. quādo earū collectio incepit §. 4. p. 55. abjudicantur Romanis Pontificibus, quorū nominibus inscribūtur, §. 4. p. 65.

Eucharistiæ Sacramenti materia, can. 55. p. 252. & seq.

Eunuchi irregulares, can. 21. p. 154.

Excommunicatio, & ejus effectus, can. 37. p. 207. ejusdem gradus, & species, p. 209.

*Excommunicati non comunicandi, can. 84.
p. 332. & seq.*

G

G *Elagii Papæ judicium circa canones
Apostolicos §. I. pag. II. & seq.
Gratiani error circa Martini Codicem
§. 3. p. 42.*

H

H *Abitus Clericorum antiquus qualis,
& nunc, can. 66. p. 279. & seq.
Heresis crimen quomodo puniendum,
can. 36. p. 202.
Heretici quomodo vitandi, & tractandi
à Catholicis, can. 80. p. 298. & seq.
Homicidii irregularitas, can. 26. p. 169.
Homicidii culpa, & pœna, can. 78. p. 313.
Hœ Canonice, can. 63. p. 270.
Hymni Sacri in Ecclesia canendi, can. 67.
p. 290.*

I

J *Ejuniium in Sabbato, & Dominica die
an olim servaretur, can. 48. pag. 234.
can. 57. p. 257.
Jejunium ferie quintæ in Cœna Domini,
can. 50. p. 242.*

- S. Isidorus Hispalensis collectionem canonum egit, §. 4. p. 50. non est Auctor collectionis Decretalium ante Siricium §. 4. p. 55.*
Isidorus Mercator Hispalensis nomine abusus est, §. 4. p. 52.

L

- L* *Ectorum officium, can. 45. pag. 255. & seq.*
Libri canonici in Ecclesia legendi, can. 67. p. 287. quales sint, ibid.
Literæ Dimissoriae, & earum usus, can. 34. p. 196.

M

- M* *Artyrum festiuitates in Quadragesima non erant, nisi in Sabbato, aut Dominica, can. 48. pag. 233. quomodo, ibid.*
Martyrum reliquiae in altari collocandae, can. 68. p. 295.
Martini Bracarensis collectio qua de causa facta, & quomodo, §. 3. p. 34.
Metropolitae dignitas supra suffraganeos, can. 4. p. 87.

Misse super monumenta mortuorum prohibita, can. 68 p. 292.

Mulierum locus in Ecclesia, can. 42. p. 222.

N

N *Eophyti irregularitas ad Ordines*, can. 22. pag. 158.

Nuptie secundae numquam fuere illicitae, can. 38. p. 211. can. 80. p. 320.

Nuptie quando celebrandae, can. 48. p. 235.

Nuptie secundae quando benedicendae, can. 80. p. 322.

O

O *Rdinandorum aetas*, can. 20. pag. 148.

P

P *Parochiae rurales quando inceperint*, can. 56. pag. 255.

Parochorum residentia, can. 7. p. 108.

Pœna Episcoporum ad Synodum ire contemnentium, can. 19. p. 141.

Pœnitentes irregulares ad Ordines, can. 23. p. 162.

Peccatum nullum in morte reservatum, can. 82. p. 328.

Presbyteri Forastici, can. 56. p. 255.

S

- S** Epultura olim in agris, & extra Ecclesias, can. 68. pag. 293. & seq.
In sepulcris defunctorum prandia fieri prohibentur, can. 69. p. 296.
- Servitus ad Ordines irregularitas, can. 46. p. 227. & seq.
- Servorum obligatio, & reverentia erga dominos, can. 47. p. 230.
- Siricii Epistola in veneratione semper habita erga Hispanos, §. 2. p. 20.
- Speſtacula Clericis prohibita, can. 60. p. 263. & 64.
- Succeſſores ab Episcopis in ſuis Sedibus non inſtituuntur, can. 7. p. 111.
- Superſtitiones Clericis prohibite, can. 59. p. 263. omnibus, laicis etiam, p. 302.
- Subdiaconorum continentia, can. 43. & 44. p. 224.
- Synodus provincialis quando facienda, can. 18. p. 140. Nationalis p. 142. Diœceſana, ſive Episcopalis, p. 144. & ſeq.

T

T *Onsura Clericorum*, can. 66. p. 279.

V

V *Asa Sacra à quibus tangi possunt* ;
can. 41. p. 210.

Viduae Clericorum, can. 29. p. 175.

*Voti impedimentum olim non dirimebat
matrimonium*, can. 31. p. 183. nondum
erat solemne, *ibid.*

Usuræ Clericis prohibita, can. 62. p. 266.

